

ب-6

Ammonij Hermeæ in Prædicamenta Aristotelis Commentarij,

PER BARTHOLOMAEVM SYLVANIVM
Salonensem nuper Latine conuersi, necnon à Gastono
Sala nuperrime recogniti.

Ex Lib. Mon. B. Mariæ de Bonomontio Aurelian. Cat. inscript. 1683.



BIBLIOTHEQUE PUBLIQUE

PARISIIS
Apud Simonem Colinæum.
1542

GASTONVS SALA Lectori S. D.

ROgauit me typographus,vt hos Ammonij cõmentarios,quos nuper Syluanius Latinos fecit, ad græcum exemplar emendarem: ego ſperans, rem hanc Philoſophiæ ſtudioſis vtilem & non ingratam futuram, alacriter operam noſtram polliceor. In ipſo libri exordio interpres hic nec ineruditus nec inelegans mihi videbatur,at cum vlterius proceſſiſſem, multa loca non rectè intellecta eſſe deprehendi, formulas dicendi à Latinorum conſuetudine alienas paſſim conſpexi. Quare mutato conſilio, prouinciam quam lubens ſuſceperam abijcere tento,& typographo declaro,futurum longè vtilius & non multò laborioſius, nouam interpretationem cudere, quàm hanc Syluanij repurgare. Vrget ille, atque vt fidem meam liberem, poſtulat. Coactus itaque librum rurſus legere incipio, & cum Græco exemplari, quanta poſſum ſedulitate,confero. Dicam, quid egerim. Quæ interpres malè verterat,emendauimus diligenter, addentes ex codice græco ſi quid ab illo erat prætermiſſum, & quædam non omninò vulgaria in margine adnotantes. Voces nõnullas,quæ penitus barbarę erant,reiecimus:phraſes quoq; non paucas immutauimus,quòd obſcuræ ac parum Latinæ viderẽtur:librariorum errata penè innumera correximus. Inuenies adhuc vocabula quàmplurima Apuleiana potius quàm Ciceroniana, multas locutiones græcas magis quàm Latinas, & vt ingenuè verum fatear, multas planè & apertè barbaras.Omnia illa conſultò reliquimus, nẽ quis cauillaretur,nos,dum emendare hunc librum inſtituimus,nouam interpretationem imprudentes feciſſe.Si noſter hic labor ſtudia eorum qui Ariſtotelis doctrinæ initiantur, aliquantulum iuuat, abundè nobis ſatiſfactum putamus. Vale.

Christophoro Madrutio Tridenti Episcopo, Principi ornatissimo
Bartholomæus Syluanius, S. P. D.

AMmonium Hermeam in Prędicamenta Aristotelis, locis à me nuper emẽ datum cõpluribus, ac latinitate donatum, cũ is à sapiẽtiæ studiosis identidem efflagitaret, munus de mea supellectile ad te defero, ac nomini tuo dicatum volo optimè Princeps Christophore Madruti: vt secus in me accidisse intelligas q̃ in multorum amicitijs venire vsu soleat: quæ, nisi assiduis colantur officijs, sensim euanescunt. Nã etsi ita casus tulit, vt à quo tempore à te discessi, nullus cõsuetudinis vsus intercesserit, tamen mea in te vetus obseruãtia eo magis est aucta, quo maior in dies ea causa qua te obseruare cœperã facta est. Nõ puto tibi memoria excidisse tempus illud cũ tu mea opera in literis vsus es. tũ me singularis quæ in te elucebat præstãtissimæ virtutis indoles cõmouit, vt te nõ solũ diligerẽ, sed vehementer etiã colerẽ. Ab ea indole cognoui quę essent expectãda. eáq; expectaui magna scilicet, atq; præclara. sed meã tamen expectationem valde à te sentio esse superatã. Itaque meã in te voluntatẽ tua virtꝰ quæ pepererat, eadẽ aluit, atq; auxit. Quo factũ est, vt in te colendo obseruãdóq; nemini forte cõcedã: ac, q̃uis nec fœcundiora tibi desint ingenia quæ laudes tuas celebrare copiosè ac splendidè possint, mea tamen interesse magnopere existimẽ, vt testis ijs sim q̃ nostra hæc legent, summæ ꝓbitatis, sapientiæ, benignitatis tuæ, ac denique earum virtutũ, quarum ope in sublimẽ hunc virorum principum ordinem relatus es. Nunc genꝰ nõ profero familiæ tuæ nobilissimum: vel Gaudentij Patris tui integritatem, cuiꝰ hodie fidei ac prudentię credit Ferdinãdus Romanorũ Rex inclytus quæ domi chariora habet: vel fratrum tuorũ tum singularem eruditionem, tũ militaris disciplinæ peritiã, quãdo graue mihi his recensendis negotium facesserem, ac demũ vererer ne, quanq̃ verissimꝰ essem prædicator, aliquã tamen adulationis notã subirem. Nõ hanc tibi amplitudinẽ his fortunis præsertim cõparatã esse aio: tametsi eæ quoque nõ minimũ ad hanc dignitatẽ cõtulere, non, quod alijs video cõtigisse q̃plurimis, aut hęreditatis iure, aut pecuniæ adiumẽto: sed tua sapientia, quã plurimo literarũ studio cõsecutus es, tua clemẽti ac miti natura, qua nulla in quenq̃ maleuolẽtia suffusus, neque amicis, neque alieniorib⁹ opera & cõsilio vnq̃ dees. tua cõmemorãda quadã liberalitate, qua allicis beneficijs hoĩes, eósque percupidos tui, ac studiosos reddis adeo, vt se tibi nõ solum deuinctos fateãtur, sed etiã mirifice gaudeant. tuæ te inquã virtutis splendore illustratum: neque hanc tibi laudem essẽ cũ alio cõmunicandã. tuis ipse tibi pręclaris operis & auctor & perfector extitisti. Demũ ea virtꝰ est tua, vt tibíne etiã principatus quẽ obtines, an tu illi plus dignitatis afferas, mecũ sæpius dubitẽ. Quãobrem quæ ad hanc tibi gloriã viam ostenderunt, eadẽ te nec ibi diu esse patientur: sed ijs innixus altius euolabis, honoribus quibusq; amplissimis perfuncturus: vt familiæ tuæ ornamenti (quanq̃ sit nobilissima) plus multo q̃ acceperis redditurus quotidie sis. Hæc est hoĩm opinio de te: quæ magis in dies magísque cõfirmatur. Verũ longius me digressum sentio, eáque cõmemorare quæ silentio præterire decreuerã. At certe verũ necesse est fateri aliquãdo, neque, id quod faciũt inuidi, egregias laudes boni Principis intactas relinquere, vt hũc cæteri obseruent hoĩes, oculósq; in eum intendãt, velut præcipuum ꝓbitatis exẽplar. ad id vero vnde oratio deflexit redeo. Ammonium meum tibi oĩm maxime nuncupatum volo Princeps optime, exiguum id munꝰ quidem, si tuę cõferre velim amplitudini: permagnum vero, si vel nostrũ in eo excolendo laborẽ æstimes, vel rerũ quas cõtinet dignitatem (eæ enim sunt decẽ amplissima rerũ genera, quæ ad totã Philosophiam, ob ídq; ad bonas artes omnes aditũ patefaciunt) simul vt, siquãdo à grauioribus negotijs te disiungis, referísq; ad Philosophiæ studia, quæ te semp à prima vsque ætate delectarunt, grauissimũ istic Philosophum habeas, cuius excellenti ac singulari doctrina vti commode possis: simul vt testis apud omnes sempiternus is sit meæ in te voluntatis. Et vero tametsi nec tu in me is esses qui es, neq; ego te vnquã præsens nouissem, ea tamen ad nos tui nominis fama ꝓuenit, vt idem hoc faciendũ mihi fuerit. Quare à te peto vt Ammonium meæ in te pietatis monimentũ ita excipias vt complectare, in tuísque intimis habeas. quem vbi per te ipsum cognoueris, profecto non indignissimum tuo patrocinio, tuóque hospitio iudicabis. Vale.

ARISTOTELIS GE-
NVS ET VITA.

ARISTOTELES Fuit genere Macedo: ciuitate Stagiris oriundus: filius Nicomachi, Amyntæ Macedonum regis medici. Vnde & filium quem ſuſcepit, patris memoriæ gratia commẽdandi, appellauit Nicomachum: ad quem & libros de moribus quibus titulus eſt Nicomachea conſcripſit: matre autẽ natus eſt Phæſtide. Horũ porrò vterq; & Nicomachus & Phęſtis ab Æſculapio genus ducebant: id quod dictum in Ariſtotelem epigramma teſtatur, hũc in modum habens:

Nicomacho genitore ſatúſque, & Phæſtide matre
Eſt Aſclepiadis, dius Ariſtoteles.

Poſt obitum vero Nicomachi & Phæſtidis Ariſtoteles apud hoſpitem quendã Acarnenſem educatur: cuius etiam nequaquam immemor officij, non eius filium modo viciſſim aluit Nicanorem, omníque imbuit literarum genere, verùm ipſum ſibi quoq; filium adoptauit: vitáque decedens legauit, vt nuptui Pythais eius filia Nicanori collocaretur. Ariſtoteles igitur per teneram adhuc ætatem liberalibus diſciplinis erudiebatur: vt quæ ab eo de rebus poeticis, & aduerſus poetas ſcripta ſunt, necnon Homeri problemata, & Rhetoricæ artes declarant. Annum vero natus decimum ſeptimum, Pythia quoq; ei philoſophari iubente, Athenas concedit: vbi Socrate vtens præceptore, cum eo triennium agit. Cæterum extincto Socrate ad Platonem ventitat: quícum per viginti annos verſatur: adeóque ſtrenuam nauauit operam, vt Plato Ariſtotelis domũ Anagnoſtæ, id eſt Lectoris domum vocaret. Non enim Ariſtoteles Lyceum viuente adhuc Platone, vt quidam ſuſpicantur, ad eius æmulationem aperuit. Quomodo enim efficere id potuit, cum tunc potentes admodum eſſent Chabrias & Timotheus Athenis Imperatores, & Platoni genere coniuncti? Nonnulli ſanè Ariſtotelem viuo etiamnum Platone Lyceum aduerſus hunc aperuiſſe dicere ex eo conantur, quòd in pluribus Platoni refragetur. Quibus reſpõdendum, non contra Platonem ſimpliciter pronunciare, ſed aduerſus eos qui minus platonica intellexere. Quòd ſi vel Platoni ipſi reclamet, nihil eſſe abſurdum, cum & in his Platoni conſentiat. ſunt enim ipſius Platonis verba, veritatem magis curare quàm aliud quidquã oportere. Nimirum hæc quoq; ad verbum inquit, amicus quidem eſt Socrates, ſed veritas amiciſſima. & alibi, paulum quidem Socratis habenda ratio eſt, veritatis vero quamplurimum. Fecit hoc ergo & Ariſtoteles, tametſi nec quæ ſunt à Platone dicta ſubuerterit: quippe & hic conſentanea illi peregit, cum deſpicere veritatem nollet. Denique quòd Platonem videlicet magna beneuolentia proſecutus Ariſtoteles fuerit, ex eo compertum eſt, quòd aram Platoni dicauerit, in qua ſic inſcriptum reliquit:

Ipſe Platonis Ariſtoteles hanc condidit aram,
Laude malis quem fas nec celebrare, viri.

Vſus eſt Ariſtoteles Platonis familiaritate annos viginti: vita autem defuncto Platone, ſcholæ ſuccedit nepos ipſius ex ſorore Speuſippus (fuit enim is filius ſororis eius Potones.) Ariſtoteles vero in vrbem ſeſe Macedonum contulit: vbi Alexandrum conditorẽ inſtituit bonis artibus, magnáq; huius pars imperij fuit. nam plurimũ apud regem valuit, potentiáque opportunè eſt vſus, tum ſingulis priuatim, tum omnibus publicè promerendis. Et quidem q̃ beneficia priuatim in multos contulerit, declarabunt quæ eius cõmendatitiæ feruntur de quibuſdam ad regem epiſtolæ. Quòd vero & publicè iuuerit multos, perſpicuum ex eo fit, q̃ Stagirorum oppidum ſolo æquatum Alexandro vt deintegro cõderet ſuaſit. Vnde & feſtum diem Stagiritæ celebrant Ariſtoteli, quem Ariſtoteleum vocant: menſem vero in quo ſolemne id agunt, nominãt Stagiritem. Quin Ereſſum quoq; Theophraſti ciuitatem cum ab rege Alexandro male tractanda eſſet, ab iniuria vindica-

uit.Cæterum poſt hæc cum diem ſuum obijſſet Speuſippus,accerſunt Athenienſes Ariſtotelem: duóque hi ſcholam Platonis excepere,Ariſtoteles atq; Xenocrates:docebátq; in Academia Xenocrates,Ariſtoteles in Lyceo.Poſtmodum vero Ariſtoteles ſeditione inter Athenienſes coorta, in Chalcidem ſeceſſit, vtique cum hoc Athenienſibus dixiſſet:Non patiar vos bis in philoſophiam peccare.etenim morte iam Socratem Athenienſes damnarant. Significauit quoque Antipatro regi difficile eſſe Athenis agere. Porrò & verſum illum dicebat Homericum:

Inque piro pira,fico ficus inque ſeneſcunt.

Quaſi Athenienſium ex his calumnias arguens. Rurſus vero in Macedoniam reuertitur Ariſtoteles:multúmque apud eius tempeſtatis reges Alexandrum, & Olympiadem eius matrem,& Antipatrum,ac Philippum valuit. Scripſit vero vnico libro & ad Alexandrũ de regno:quo ipſum quónam pacto regnum adminiſtrari conueniat,docet. Deniq; cum eo vel vſq; intra Brachmanas penetrauit:vbi reſpublicas quinquagintaquinque ſupra ducentas conſtituit. Hunc comitatus eſt & in Perſidem:vnde bello confecto, atq; Alexandro vita perfuncto, in patriam ſuam redijt. Fuit hic vir moribus ſupra quàm credi poſſit modeſtis:exceſſit in philoſophia humanos limites, de ea nihil omittendo commẽtatus. Atqui ex eius ipſius ingenio ac ſolertia cõpluribus additis, totã philoſophiam numeris omnibus abſoluit.Nam logicæ quidem adiecit, cum regulas diſcreuerit à rebus, & demonſtratiuam rationem ac viam confecerit. Norant enim veteres demonſtrare:at demonſtrationes facere haudquaquam ſciebant. quibus idem cum ijs accidit qui corij ſecandi artem exercere nõ poſſunt,vti vero calceis poſſunt. Phyſicæ quintam eſſentiam adiunxit.Theologię vero etſi nihil accreuit,nihil de ea tamen tractauit in quo quidquã deſideres.Non enim vt arbitrantur nonnulli, ſola ea quæ mundi ambitu continentur,ſed & quæ ſupra mundũ ſunt norat: vt octauo quoque palàm facit volumine naturalis auſcultationis:primã inquiens cauſam neque per ſe mobilem, neque per accidens eſſe.ex hoc ſanè indicãs, diuinitatem ſupremã ac moderatricem neq; corpus eſſe,neque obnoxiã affectib9.

Vixit Ariſtoteles vniuerſo tẽpore annos tres & ſexaginta. Nanque annum agens decimumſeptimum Socratem adit, eíque per triennium adhæret: fuit & cum Platone annos viginti: vixit vero à Platonis interitu tres & viginti. Hæc de vita Ariſtotelis habuimus dicenda.

QVAESTIO VTRVM PARS AN INSTRVMENTVM PHILOSOPHIAE SIT LOGICE.

QVANDOQVIDEM Autem propoſitus liber Logicæ principium eſt commentationis, vt in orationis ſerie explicabitur, neceſſe eſt, vtrum pars an inſtrumẽtum Logicę philoſophiæ ſit, diſquiramus. Haud enim ignorandum eſt, philoſophatos iam pridem viros, quoſdã philoſophiæ partem eſſe, qualis Stoicus chorus fuit vniuerſus, alios inſtrumẽtum, vt Peripatetici omnes, Logicen pronunciaſſe. Plato autem Logicen partem ſimul atq; inſtrumentũ dixit: partem quidem in Phædro, inſtrumentum vero in Parmenide: vbi iuuenes inquit, quoad iuuenili ætate fruũtur, in garrulitate præexerceri oportere, vt poſtmodum à falſo diſcernere verum poſſint. Ex quo igitur Logicen garrulitatẽ vocauit, ex hoc inſtrumentum ab eo dictam conijcimus. non enim garrulitatem appellare eam auſus fuiſſet, ſi partem putaſſet philoſophiæ: ne philoſophiam garrulitatem nominaret. Fieri vero poteſt vt idem pars inſtrumentúmq; ſit, verbi gratia manus: eſt enim hęc tum dandi tũ accipiẽdi inſtrumẽtum, pars autem corporis vniuerſi. Suam igitur opinionem Stoici duabus aſſerunt argumentationibus, quarum prima hunc in modum progreditur: Si omne id inquiunt quo vtẽs vtitur neque pars alterius cuiuſquam neq; particula eſt, ipſius neceſſario vtẽtis aut pars eſt aut particula. Sicuti & medicina præfinitrice victus ratione vtitur (græci hanc διαιτητικὴν vocant, quaſi victuariam latine appellaueris) quæ quoniam neq; pars alterius neque particula eſt, ob id medicinæ pars eſt aut particula: verum pars quidem curatricis, particula vero practices ſiue actiuæ exiſtit. Porrò additum orationi eſt ſi illud neq; pars neq; particula alterius eſt, ob aſtronomiam. hanc enim vſurpat gubernatoria: ac quoniam prius philoſophiæ pars & particula eſt aſtronomia, pars nimirum mathematicæ, cõtemplatricis vero particula, eam ob rem gubernatoriæ neq; pars eſt neq; particula. Quare ſi logicen vſurpat philoſophia, hæc autem ſcientiæ alterius pars aut particula nõ eſt, philoſophiæ igitur eſt. Prima itaq; ipſorum eſt huiuſmodi quidem argumentatio, ſed quam facile redarguas. nam ego quoq; retorto dicam ſermone, quoniam grammatica & rhetorica & medicina ratiocinandi vtuntur facultate, alia vt ſuas ipſius regulas recte ſeſe habere demonſtret, alia vt placita ſua conſtituat, ac neq; pars neque particula alterius eſt artis, planè dictarum artium pars erit aut particula. Pręterea ſermonem quoq; imperfecte protulerunt: ſiquidem dicere eos oportebat: Si id omne quo vtens vtitur, artis alterius vel ſcientiæ neq; pars eſt neque particula neq; inſtrumentum, ipſius vel pars vel particula vel inſtrumentum erit vtentis: quoniam igitur philoſophiæ neq; pars eſt neque particula ratiocinandi facultas, eius neceſſario erit inſtrumentum. Nam ꝙ verbum hoc neque inſtrumentum addi ſermoni opus ſit, hinc datur intelligi: vtitur enim medicina phlebotomo, quod alterius neq; pars neque particula eſt artis, ergo medicinæ. At ſi vera ſunt hæc, quãdoquidem phlebotomum corpus eſt, erit & medicina corpus, quaſi ex corpore quoq; conſiſtens: id quod abſurdum eſt, cum habitus animæ ſit ac ſcientia. Secunda vero ipſorum argumentatio id genus eſt: Nulla inquiunt ars proprium inſtrumentum molitur. ſi ergo Logicen facit philoſophia, non eius inſtrumẽtum, verum pars erit. Cæterum hanc quoq; euertimus aggreſſionem ex euidentibus, dicimúſque & artes alias ſuorum inuẽtrices inſtrumentorum eſſe complures, vt incudis excuſoriam, quod ipſius inſtrumentum eſt. eodem modo & materiariam mallei. Quid ergo vel hic incõmodum ſit Logicen philoſophiæ inſtrumẽtum eſſe dicere, tametſi eius opus effectúſque eſt? At vero Peripatetici inſtrumentum vt ſupra dixi philoſophiæ Logicen eſſe volunt, pluribúſque vtentes argumẽtis, partes non ſe mutuo complecti aiunt, verbi cauſa non contineri in naribus manum:

quòd ſi Logicen quoq; in contemplatiua & actiua comprehendi videamus, non pars tamen erit ipſius, ſed inſtrumẽtum. Item ſi quæ parti inſunt ea non Logicæ inſunt: quæ vero competunt inſtrumento, ea Logicæ quoque ipſi competunt, conſtat non vt partẽ eſſe, ſed vti inſtrumẽtum. Eſt enim partis ob ſeipſam non ob aliud factam eſſe: vt contemplatiua, cum pars philoſophiæ ſit, ſui, non alterius gratia facta eſt: perinde vero & actiua. At inſtrumento datum eſt, vt propter aliud non propter ſe fabricatum ſit. Logicæ ergo non ſui ipſius, ſed alterius cauſa conflata eſt. nempe vt in contemplatione verum à falſo, bonum autẽ à malo in rebus agendis diſcernat. Hæc porrò ſi ſic habent, inſtrumentũ ergo philoſophiæ logice eſt. Præterea ſi partem eſſe philoſophiæ logicen ſuppoſuerimus, quoniam pars omnis eandem toti materiam finémque obtinet, logice autem neque materiam eandem cum philoſophia neq; finem habet: eius igitur nequaquã pars erit. Nam res quidem, philoſophiæ materia ſunt: finis autem, ſimilem ſeſe deo præſtare. At logices materia, voces & propoſitiones: finis, demõſtrationes concluſionéſque. Item pars alijs coniuncta partibus totum complet, adẽpta diminuit: at logice horum efficit neutrum: non pars igitur, ſed inſtrumentum. Atque hæc quidem Peripatetici: quibus minime eſt refragandum. Plato autem, vt ante diximus, & partem eius & inſtrumẽtum pronunciauit. Quemadmodum enim duplex inquit ſextarius eſt, alter quo metiris, alter quem metiris: ac metiens quidem, inſtrumentum metiendi eſt: quem autem metiris, totius is pars eſt humoris: eodem pacto & logice ſemota quidem à rebus, philoſophiæ inſtrumentum: rebus vero accommodata, pars eſt philoſophiæ.

Suſſannæus ad Lectores, de Martino Beſardo, Ammonij emendatore.

Indicat humano generi Cyllenius heros
Diuinas mentes, conſiliúmque Iouis,
Hinc Latio interpres, Græco ſermone vocatur
Hermes, & rari nomen honoris habet.
Eſt ab eo ſapiens Ammonius, Hermea dictus,
Hic ad Ariſtotelem quòd patefecit iter.
Ambages, ſeptis ex omni parte remulſis,
Soluit, & Organici codicis omne chaos.
Hunc pulchrè terſum profert in luminis auras
Beſardi feruens aſſiduúſque labor.
Vos illi munus laudis perſoluite, libris
Quem caſtigandis excubuiſſe iuuat.

Ammonij Hermeæ commẽtariorvm in prædicamenta aristo.

praefatio.

QVEMADMODVM cũ introductiones auſpicaremur ea dicebamus quæ ad omnẽ philoſophiam ſpectarent, dein propoſiti nobis intentionẽ libri definiebamus, ita nunc quoq; * exordiẽtes priuſquàm Ariſtotelis tractatum aggrediamur, dicamus ea quæ ad Ariſtotelicã omnem philoſophiam pertinent: tum ſic quẽ prę manibus habemus Prædicamentorũ libri intẽtionem decernemus. Decem autẽ ſunt quę præmitti debent capita. Primum, quot modis philoſophorũ ſectæ nominentur: vt qualis etiam fuerit ſectę Philoſophus dignoſcamus. Secundũ, de Ariſtotelicorum operũ diuiſione. Tertium, vnde Ariſtotelicorum operum ſumendũ initium ſit. Quartum, quis finis Ariſtotelis philoſophiæ. Quintũ, quæ perducat ad finẽ via. Sextum, quódnã genus ſit Ariſtotelicæ elocutionis. Septimũ, cur obſcuritati ſtuduerit. Octauũ, qualis ſit oporteat auditor. Nonũ, qualẽ interp̃tẽ eſſe cõueniat. Decimũ, quot ſint capita ſingulis Ariſtotelis cõmẽtationibus præfanda. Hæ itaq; ſũmæ ſunt quę quæri debent. Cauſa vero etiã explorãda eſt ob quã ſolas has, atq; nec plures nec pauciores indagam⁹. Enimuero eã planè didicerimus ſi ſermonẽ ex diuiſione cõplectamur. Itaq; philoſophorũ ſectas ſeptẽ modis dici ſciẽdũ eſt: aut à ſectę prĩcipe, vt Platonici, & Pythagorei: aut à prĩcipis patria, vt Cyrenaici ab Ariſtippo, & ab Euclide Megarici: aut à loco in quo cõmorabãt, vt Academici à Xenocrate, & Stoici à Citieo Zenone: aut à iudicio ĩ philoſophãdo, vt q Ephectici, id eſt Inhibitores, vel Hæſitatores noĩantur: aut à vitę genere, vt Cynici, quib⁹ prẽfuit Antiſthenes: aut à fine philoſophię, vt Hedonici, hoc eſt Voluptuarij, q Epicurei ſunt: aut ab accidẽte, vt ab ãbulatione Peripatetici, nimirũ ab Ariſtotele deducti. Inhibitores ergo huiuſmodi de cauſa dicebant, Pyrrho ſectę princeps * indep̃hẽſionẽ, hoc eſt certitudinẽ nullã eſſe in reb⁹ aſſerebat: talíq; exẽplo vtebat. Quẽadmodũ (inquit) fieri nequit vt in fluuiũ bis eũdẽ introeas (ante enim elapſus eſt q̃ ſecundo irruperis,) ita nec de reb⁹ planè enunciare quidpiã licet. quippe cũ earũ quoq; ſit fluxilis natura, atq; in eo quod fiat ac corrũpat ipſũ eſſe obtineat. quãobrẽ interrogati annuebant ſolũ aut abnuebãt, mutatas antea res eſſe q̃ reſpõderẽt putãtes. At vero diſcipulus eius Heraclitus abſurditatẽ intẽdens, ne ſemel qdẽ licere in idẽ flumẽ ingredi affirmabat: prius enim quã totũ ſit demerſũ corp⁹, aqua præterfluxit iã plurima: ita ſeſe habere & rerũ naturã. habent enim eſſe in motu ac fluxu oĩa: quare & Inhibitores noĩabant, q̃ reſpõſiones de reb⁹ inhiberent atq; ſupprimerent. Plato autẽ cũ hãc ſententiã plurib⁹ cõfutaret rationib⁹, poſt multa hoc quoq; infert ipſis argumẽtũ, Heus hoĩes qui eſſe indeprehẽſionẽ dicitis, num indeprehẽſionẽ eſſe an nõ, deprehẽdiſtis? Nã ſi deprehẽdiſtis, eſt dep̃henſio: ſin minus, habẽda vobis fides nõ eſt, vt qui indeprehẽſionẽ eſſe nõ dep̃hendiſtis. Cæterũ Cynici ſic vocabãtur ob loquẽdi fiduciam, ac reprehẽdendi. Nã cani philoſophum quiddã ineſſe, ac diſcernendi vim quandã aiunt, quippe externis latrat, blandit̃ domeſticis. ſic ij quoq;, virtutes, quíq; virtuti addicti viuerent, agnoſcebãt amplexabãtúrq;: vitia vero, atq; eos qui obnoxiam vitijs agerent vitã, vel ſi reges fuiſſent, inſectabant̃ atq; allatrabant. Voluptuarij ex eo nominabãtur q̃ voluptatẽ finẽ ſtatuerent, voluptatẽ autẽ nõ corporalẽ, ſed tranquillum ſtatũ animi, & perturbationib⁹ vacãtẽ, ac ſtudioſæ vitę comitem. Porrò ij male ſentiebant cũ accidens virtutis ſiue vmbrã finẽ cõſtituerent. Peripatetici autẽ eiuſmodi de cauſa ſic dicebãt, Plato enim exercitationis gratia deambulãs, ſodalib⁹ ſeſe ad docẽdum dabat: cui cũ ſucceſſiſſet Ariſtoteles, actionis ſiue accidẽtis cognomẽ adeptus eſt. Age ergo diuiſionẽ quoq; Ariſtotelicorũ operũ faciam⁹, quorũ aliqua

* Legendum fortaſſis ἀρχόμενοι πρὸ τῶ Ἀριστοτελικοῦ συγγράμματος, id eſt exordiẽtes primũ Ariſtotelis tractatum, dicamus, &c. In Aldino exemplari legitur πρὸ τῦ, quam lectionem ſequutus eſt interpres.

* ἀκαταληψίαν incomprehenſibilitatem.

Hoc de ſuo addit interpres.

particularia ſunt,vt Epiſtolæ:quædã vniuerſalia,vt Phyſica, liber de Anima,& alia:nõnulla in medio ſunt,vt Reſpu.& Hiſtoria de Animalibꝰ.⌊Particularia igitᷣ,& quę in medio ſunt,valeant.⌉ Vniuerſalium vero alia ſunt ordine accuratéq; cõſcripta(ἀυτοσχεδιαστικὰ greci vocãt)alia cõmẽtaria,in quibus ſola capita deſcribũtur. Cõmẽtariorũ alia ſunt vniformia,nimirũ quæcũq;ei de vno ſcripta ſunt ſpeculamine:nõnulla varia,quę ſcilicet de pluribus cõfecit. At ordinariorũ ſeu ſyntagmaticorũ quædã ex ipſius autoris ꝓſona(ἀυτοπρόσωπα græci appellant)& auſcultatoria ſunt:aliqua collocutoria (græcè διαλογικὰ)atq; extraria.Scripta autẽ ea quę ex autoris ꝓſona atq; auſcultatoria dicunᷣ,partim cõtẽplatiua habẽtur,partim actiua,partim inſtrumentaria.Contẽplatiuorũ nõnulla phyſiologica, nẽpe in quibꝰ de natura tractatᷣ:aliqua mathematica:alia theologica. Actiuorũ quædam ad mores colẽdos,quædã ad domus,nõnulla ad reipub.adminiſtrationẽ pertinent. Priora illa græcè Ethica,altera Politica,poſtrema Oeconomica noſantur. Inſtrumentaria tũ in ea diſcernunᷣ quæ methodũ antecedunt,tũ quæ de ipſa agunt methodo, tum quæ aliter ad methodũ cõducunt. Sunt ergo particularia quæ ad aliquẽ ſcripta priuatim ſunt,vt Epiſtolæ.& quæcũq; rogatus ab Alexãdro Macedone de Regis officio,ac quo pacto colonias deducere oporteat,ꝓſcripſit.Vniuerſalia vero,vt Naturales tractatus,& de Anima, vel qui de Generatione atq; interitu docent:de vniuerſalibus enim rebus in id genus diſſerit libris.Media vero,vt Reſpub. & de Generatione animaliũ cõmẽtationes. quatenus enim de aĩalibꝰ agitᷣ, vniuerſale habẽt:quoad vero nõ de omni ſimpliciter generatione, particulare ſibi vẽdicant.Porrò Cõmẽtaria nominant illa,quæ ad res memoriæ ſuggerẽdas ſibi annotabãt. Cõſueuerũt enim veteres cũ antiquiorũ libros perlegerent,ipſorũ de quauis re ſentẽtias excribere,& argumenta quibus ea aſſererentᷣ cõmunirentúrq;.neq; id ſolũ,ſed quæ ipſis quoq; legẽtibus placerent, ſcriptis ſæpenumero memoriæ gratia mandabant,vt ſi quãdo de re aliqua ſcribẽdũ eſſet, vetuſtiorũ de ea opiniones in prõptu habe rent,veluti propriorũ librorũ materiã. Ex Cõmẽtarijs ea vniformia nũcupabãt,in quibꝰ de ſola re vna obſeruabatᷣ,vt de Anima,de Cęlo,vel quopiã alio.Varia autẽ, in quibꝰ de pluribus collectũ eſt rebꝰ. Cæterũ Syntagmatica ea dicunt, quæ elocutionẽ habẽt erudito operi conſentaneã, & capitũ diuiſionẽ ordine decenti diſpoſitã. At Syntagmatica tũ collocutoria ſunt,tũ autoris ipſius perſonã referunt. Sunt ipſius perſonę ea,in quibus ex perſona ſua docebat,quæ & auſcultatoria nominãt, ꝙ ad ſuos legitimóſq; auditores verba faceret. Collocutoria autẽ,quę nõ ex propria perſona conſcripſit,verum quẽadmodũ Plato aliorũ perſonas introducens,quę & extraria nuncupabant,ꝙ ad vulgi vtilitatẽ ſcripta eſſent. Plurimũ vero differunt ab Autoris perſonã referentibus collocutoria. in illis enim tanq̃ ad iuſtos veróſq; auditores ſermonẽ faciens,& quæ ipſe ſentiat dicit,& exquiſitiſſimis fulcit argumentis,quæ aſſequi vulgus nõ poteſt. In Collocutorijs autẽ,velut ad cõmunem ac multorũ vtilitatẽ ſcriptis,ea quibus ipſe aſſentitur,pronunciat:ídq; nõ per demonſtratiua,ſed ſimpliciora argumenta,quæq; percipi à pluribus valeant. Diuiduntur quæ ex Autoris perſona ſunt,in Contẽplatiua,& Actiua,& Inſtrumẽtaria. quoniã in hæc duo diſtincta eſt Philoſophia,Contẽplatiuum,atq; Actiuum.Contẽplatiua ſunt in quibꝰ de veritate mendacióq; cõſiderat.Actiua in quibꝰ de bono & malo ſcrutatᷣ.At verò quoniam de bono & malo,& vero & falſo nõ leuis eſt hoĩbus controuerſia,aliíq; aliud bonũ, & malum:& verum,& falſum eſſe arbitrantur,inſtrumentũ quo hæc diſcernerentur,nobis oportuit traderet,id quod eſt demonſtratio. Porrò aliud nihil demonſtratio eſt q̃ demonſtratiuus ſyllogiſmus. Vt enim tignarius faber amuſſi vtitur inſtrumento curuis ac rectis lignis diſcernẽdis, necnõ ædificator ꝓpẽdiculo quo rectos atq; obliquos dignoſcat parietes, ſic philoſophi demõſtrationẽ habent regulã rectã certámq; rerũ diiudicãdarũ. Diuidunt Contẽplatiua in naturalia,& mathematica,& theologica.Sunt theologica quę ipſi poſt naturalem tractationẽ ſcripta ſunt.eáq; ſic τὰ μετὰ τὰ φυσικὰ,id eſt Poſtnaturalia nuncupauit.Omnia enim quæ ſupra naturã ſunt,theologiæ docere propriũ eſt.Naturalia vero,vt eæ ipſæ tractationes quę phyſicę vocantᷣ,& quæ de Generatione & Corruptione inſcripta ſunt,ac ſimilia.Mathematica horũ media habentᷣ, ptímq; à materia ſeparabilia ſunt,ptim ſeparari nõ poſſũt.ſcripſit enĩ & lineas q̃ſdã.Actiua quoq; ĩ moralia(habet enĩ

moralẽ tractatũ)& in Oeconomica,ac ciuilia diducũtur. Inſtrumẽtariorũ autẽ quædã de ipſis methodi principijs ſunt,vt prædicamenta, & liber de Interpretatione,& duo Priorũ Reſolutoriorũ volumina.alia de ipſa pertractant methodo, vt poſteriora Reſolutoria, in quib⁹ de Demõſtratione præcipit. Topica vero,& ſophiſtici Elenchi,& artes Rhetoricæ, &,vt placet nõnullis,quæ de poëtica prodidit,ex ſe quidẽ ad methodũ nequaq̃ conferũt, faciunt tamẽ & ipſa aliter ad demõſtrationẽ,cũ per ea methodos ſecundũ quas paralogiſmi hoc eſt mentitæ ratiocinationes fiunt doceamur. Tertium deinceps erat caput:vnde Ariſtotelica opera auſpicari cõueniat. Itaq; Boëthus atq; Sidonius à naturali tractatu inchoandũ putant,vtpote familiariore ac noto.ſemper autẽ à manifeſtiorib⁹ incipiendũ ac cognitis.Huius vero pręceptor Andronicus Rhodius diligẽtius exquirẽs,initiũ à Logica ſumi oportere affirmabat,quę circa demõſtrationẽ verſat. Quãdo igit̃ Philoſophus in libris ſuis oĩb⁹ demõſtratiua docẽdi ratione ac via vtit̃, egregiè nobis hæc prius elaborãda eſt,vt ſcripta ei⁹ reliqua facile aſſequamur.Sunt qui à morali incipiendũ arbitrẽtur:prius enim mores excolere,& ita adire alios tractat⁹ oportet,ne turbata ab affectib⁹ ratione nõ exactas de reb⁹ ſentẽtias feram⁹. Quòd ſiqui à Logica malint,vt quę nos ad principia ducant,ac qualis virt⁹ id genus exiſtat cũ demõſtratione intelligam⁹, dicimus primũ rectè opinãdo id ſcire nos,dein poſt etiã demõſtratiue debere. Quare tametſi demõſtrationes nõ intellectu percipimus,ipſa tamẽ prius opera moralis ſciẽtiæ edocti,viuere ſecundũ ea recta opinione cõuenit. tũ demõſtratiuas dehinc aggredi methodos. Quis vero finis eſt Ariſtotelicę philoſophiæ? omniũ inquã principium noſſe,omnium opificẽ cauſam,ſempiternã, atq; eodẽ ſe modo habentẽ. omniũ enim principiũ idémq; incorporeũ demonſtrat,deduci autẽ ex illo vniuerſa.Sed quęnã hunc nos ad finẽ perducunt? nẽpe doctrina eorũ quę in tẽpore ac mutatione cõſiſtunt:eiuſmodi ſunt generabilia corruptibiliáq;. Ab ijs enim nos ipſi ad ſempiterna & eodẽ modo ſe habẽtia mathematicarũ interuẽtu ſubducimus(id gen⁹ cæleſtia ſunt)& ita poſt incorporeas ſubſtantias,ad primã omniũ cauſã trãſcẽdimus. Nã cũ motus oĩs aut ad ſubſtãtiã, aut ad quantitatẽ,aut ad qualitatẽ,aut ad locũ pertineat,generationi internitioníq; addicta mot⁹ genere omni,cæleſtia vero locali dũtaxat cienť.Quãobrẽ decẽti ordine pergẽdũ eſt,ab ijs quæ multiplici genere ad ea quę vno ac ſolo agitanť,atq; ita ad immobile,quódq; eodẽ pacto ſeſe ꝑpetuò habet principiũ, neq; vt eſt in oraculo pes eſt trãſgreſſor mittẽdus. Si enim à corporib⁹ ad primũ omniũ principiũ repẽtè accedere velimus,illud quoq; corpus eſſe arbitraremur,ac figura deſcriptum.Quare tradẽda inquit Plotinus iuuenib⁹ mathemata ſunt,vt incorporeę aſſueſcãt naturæ.Ariſtotelis autẽ ſcribẽdi genus vbiq; eſt elocutione exactũ:fugit enim ſemp Philoſophus rhetoricas exornationes,ſolũ explicãdæ ac veluti oculis ſubijciẽdę rerũ naturæ intẽtus.Sæpe etiã cõpreſſum,atq; obſcure diſſertũ,nõ ex ſcribẽtis natura, ſed ipſe data opera id egit.nã topica,meteora,aliáq; dilucidè ſtilo eſt ꝓſecutus. Ergo obſcuritatẽ affecta uit,vt legẽtes ingenioſiores magíſq; idoneos redderet ijs q̃ dicerẽtur,cõpoſitè audiendis: vtq; ignauos auditores ex primordijs auerteret.Siquidẽ legitimi iuſtíq; auditores quò ſũt obſcuriora dicta,eò magis certãdo euícere atq; intima ſubire cõtẽdunt.Itaq; obſcuritate ꝓpter ꝓfanos,rerũ inuoluẽs dignitatẽ obſcuritate perinde ac velamine,eſt vſus.Auditor verò eſſe iuſtus debet,ingenio ꝓſpicaci,literarũ ſtudioſus,moderatione animi prędit⁹,ac vndeq̃q; ornatus.Horũ autẽ librorũ enarrator,neq; beneuolẽtia duct⁹ conari debet,quæ perperã dicunť,cõſentanea facere,eáq; veluti à tripode excipere:neq; rectè ꝓdita,prauo ſenſu ꝓ odiũ carpere:ſed eorũ eſſe incorrupt⁹ iudex,atq; autoris ſenſũ aperire in primis,illiúſq; placita interp̃tari, tũ quid ipſe ſentiat afferre.Capita autem quæ libris Ariſto.oĩbus antefari oportet,hęc ſũt,intẽtio ſcopúſve,*vtilitas,inſcriptionis ratio,an legitim⁹ Philoſophi liber ſit,ordo lectiõis,diuiſio in ꝓtes.Intẽtio,tractat⁹ naturã detegit atq; dilucidat, & legẽti,quomodo intelligendũ quidq; ſit,veluti habitũ præbet.nã quicqd dicit̃,ad operis intentionẽ id parat dirigere, quam qui ignorat, ſimilis cæco eſt,haud,quónã feratur, ſcienti:ac q̃æcũq; ad intentionẽ pertinẽt,ab autore temerè dici putabit. Vtilitas,ſtudiũ alacritatémq; inuehit auditori.Qui enim incepturus quicq̃ eſt,quẽ fructum ex ipſa illius vtilitate accepturus ſit,prius oportet cõdiſcat. Quoniã vero in libris quibuſdã titulo mi-

*Hic nõnulla deſunt in codice græco, quæ rectè addidit interpres.

nus diluceſcẽte à ſcopo aberram⁹,cauſã cur inſcriptũ ita ſit,quęrere cõuenit,vt in prędicamẽtis,ac libro de Interp̃tatione,atq; alijs.nã in cõmentatione de Cælo,vel de Anima, nõ eſt inſcriptionis ratio ſcrutãda:quippe cũ ex ſe ipſa perſpicuitatẽ habeat. Quęrimus etiam an ſuus legitimúſq; ſit Philoſophi liber. tres enim cauſæ ſunt cur Ariſto.libri adulterentur:vna,æquiuocatio autorũ:fuere nãq; & Ariſtoteles alij,quorũ ſcripta ob æquiuocationẽ nõnulli huiuſce Ariſtotelis eſſe exiſtimarunt.altera,librorũ æquiuocatio. Eudemus enim & Phanias ac Theophraſtus eius diſcipuli,præceptoris exẽplo prędicamẽta,& de interpretatione,& reſolutoriã artẽ ſcripſere.tertia huiuſmodi eſt:Ptolemæũ Philadelphum Ariſtotelis cõquirẽdorũ operũ perinde ac reliquorũ perſtudioſum fuiſſe tradũt,pecuniáſq; ijs perſoluiſſe,qui Philoſophi ad ipſum libros afferrent.quo factũ eſt,vt quidam quæſtũ cõſectãtes libros Philoſophi noĩe inſcribentes cõportarent.ſanè libros in magna bibliotheca Reſolutoriorũ quadragĩta,Prędicamẽtorũ duos inuẽtos affirmãt. ſũntq; hic prędicamẽtorũ,Reſolutoriorũ autẽ quatuor veri legitimíq; Ariſtotelis iudicati ab interpretib⁹, tũ ex ſentẽtijs verbíſq;, tũ ꝙ huiuſce libri Philoſophus alibi idẽtidẽ meminerit. Lectionis ordinẽ exquirim⁹,ne maiora primũ attingamus,atq; ea quib⁹ cognoſcẽdis alia pręcedere anticipariq; oportet,ignari quę nobis cognoſci in primis debeãt. Diuiſionẽ vero in partes,quoniã totius diſcere exactè naturã volẽti,huius partes diligẽtius inſpectãdę ſunt.vt ſi hominẽ noſſe exquiſitius velis,huius caput,& pedes,& manus,partéſq; cęteras cognoſcere perinde debes: ſic ergo & operis partes cuiuſq; prius in quot ac qualia diuidãtur,operępreciũ eſt intelligas.Cæterũ id ſciẽdũ,nõ vbiq; oĩbus ijs explorãdis opus eſſe,verum in quib⁹ occulta eſt perſpicuitas.ſępe enim cũ intẽtione ſimul vtilitas diluceſcit.vbi gratia in cõmẽtatione de Cælo vel de Anima manifeſta intẽtio eſt, & vtilitas,atq; inſcriptio:in topicis ne vnũ quidẽ ex ijs cõſpicuũ eſt, ſed neq; ilico ſimul quoq; vtilitas,cognita patet intẽtione.nã eius in Topicis intẽtio eſt,dialecticã nobis tradere methodũ.Eſt porrò Dialectica,vti ipſe definit,methodus quę de ꝓpoſito omni problemate ex opinabilib⁹ ratiocinat.Quòd ſi de omni ꝓpoſito,nõ ſolũ autẽ vera,ſed falſa etiã in quęſtionẽ vocant,qualis hoc loco vtilitas?methodũ noſſe qua falſa etiã colligem⁹.Itaq; pergens ipſe vtilitatẽ nobis detegit,cõmentationẽ ad tria vtilẽ eſſe inquiens,ad exercitationẽ,ad vulgares diſputationes colloquiáve,ad philoſophiæ methodos.at in prædicamentis ac libro de interp̃tatione emicat ſimul cũ intẽtione vtilitas,vt deinceps oſtẽdemus.atq; hęc quidem de Ariſtotelica omni philoſophia ꝓdita ſint.Sed dicam⁹ & de ꝓpoſito Prędicamẽtorum libro,quæ intẽtio, quæ vtilitas,quæ inſcriptionis ratio ſit,quis ordo lectionis,vtrũ ſuus iuſtúſq; Philoſophi liber exiſtat,quę diuiſio in capita.Hęc,vti dixim⁹,Ariſtotelis tractatib⁹ ſingulis præmitti oportet dicẽda. Quidã de Prędicamẽtorũ intẽtione in diuerſas abiere ſentẽtias,atq; alij de vocib⁹ ſolis intẽtionẽ eſſe ꝓdiderũt, qualis fuit Alexãder,nimirum ex Ariſtotelicis dictiũculis decepti ſic habẽtib⁹,Eorũ quæ dicũtur alia p cõplexũ dicũtur, alia ſine cõplexu. ꝙ ſi voces ſunt quæ dicunt,patet eſſe ei de vocib⁹ intentionẽ. Qui vero de ſolis reb⁹ eſſe intentionẽ putarunt,qualis Euſtathius fuit, de reb⁹ à Philoſopho diuiſionẽ fieri aiunt dicẽte,Entiũ alia de ſubiecto dicũtur.ꝙ ſi entia res ſunt inquiũt, ergo de reb⁹ ipſi intẽtio eſt.At de ſolis cõceptibus diſſerere philoſophum rati,qualis fuit Porphyrius, de decẽ generib⁹ ſermonẽ eſſe affirmãt:hæc autẽ conſiderari in multis,poſteriúſq; eſſe genita,quæ ſcilicet animo noſtro inhærent:proinde hoc libro verba de conceptibus ab Ariſto.fieri.Cæterũ falſus quoq; is eſt ex Ariſto.verbis ad finẽ poſitis dicẽtis: De ꝓpoſitis ergo generibus hęc dicta ſufficiãt:genera autẽ vbiq; Ariſtot. vocat quę ſunt in pluribus,ac mente cõcepta. Verũ qui exactius loquunt,inter quos vel Iãblichũ cẽſeas, neq; de ſolis ei cõceptib⁹ eſſe,neq; de vocib⁹ ſolis,neq; de rebus dũtaxat ſermonẽ ferũt, ſed de vocibus res cõceptuum interuẽtu ſignificãtibus, prædicamẽtorũ intentionẽ eſſe. Verũ enimuero nõ rectè priores definiuiſſe,ſic licet perdiſcamus. Dicãt ij qui de reb⁹ ipſum diſſerere aiunt: quoniã rerũ nõnullæ in ſola cogitatione poſitæ ſunt, vt Cẽtaurus,& Hircoceruus, quædam ſunt ſubſiſtẽtes,de quibus ei ſermo eſt?de ijs dicturi ꝓculdubio ſunt quæ in natura exiſtunt. Vtrũ ergo cãpta harũ notione nos ita p voces de ijs edocet? omnino ſanè cõfitebũtur:fieri enim haud poteſt,quin à vocib⁹ res p medios ſignificẽtur

conceptus:ergo & de oĩbus diſputabit. Dicant & qui tractare eum de vocib⁹ ſolis,aut ſolis cõceptibus perhibent:quoniã voces cõceptúſq; partim aliquid ſignificãt,partim ipſum eſſe voce tenus obtinent ac cogitatione, de quibus agere ipſum cenſebitis?nimirũ de ijs dicent quæ res ſignificant: nullus enim philoſophis vel de vocibus vel de cõceptibus ſermo eſt ſignificatu carentibus:ergo cum de vocib⁹ res ſignificãtibus verba faciat,res quoq; ipſas per medios cõceptus attingit. cunq; de conceptibus agat res indicãtibus, de ipſis per voces cõceptus interpretãtes diſputabit:nudi enim ſi animi eſſent, nec corporibus impedirent,nudis inter ſe agerent conceptibus congrederentúrq;: nunc coërciti corporibus, nõ aliter q̃ per voces, ſuos mutuò ſignificare conceptus valent. Quoniam vero res quædã ſimplices ſunt,quædã cõpoſitæ(ſimplex res Socrates eſt,cõpoſita Socrates ambulans)eodem modo mentis quoq; conceptiones & voces partim ſimplices,partim cõpoſitę ſunt:ſimplex enim vox, eſt Socrates ſimpliciter: & cõceptio ſimplex,de Socrate: cõpoſita autẽ vox,quæ dicit Socrates currit:& conceptio cõpoſita,de Socrate currente,vtrum de ſimplicibus hoc loco differit rebus vocibúſq;,an de cõpoſitis?atq; de ſimplicibus inquam: Idcirco prædicamentorum intentionẽ exquiſitè definientes hîc diſputari de ſimplicibus vocibus affirmamus, quæ ſimplices res per medios ſimplices conceptus ſignificant. Verũ vt luculentior ſermo noſter euadat,quædam nobis vtilia,ad eorũ quę dicturi ſumus dilucidã repręſentationem, aſſumamus. Quoniã enim Philoſophiæ ſicuti prodidimus pars altera cõtemplatiua eſt,altera actiua:contẽplatiuæ finis eſt veritatis cognitio,actiuæ boni adeptio:vtriq; autẽ obſtant contraria,veritati falſitas,& bono malum.noſter vero animus,vt qui imperfectus eſt,ſępe pro veritate mẽdacium eligit,verum id eſſe exiſtimans:& pro bono malum,q̃ bonum eſſe id putet.Philoſophis igitur aliquo inſtrumento opus fuit, quo veritatẽ à falſitate,& bonum à malo diſcernerent.Sed quódnã eſt hoc?demonſtratio.quicquid enim bonum eſſe demõſtratum fuerit,id ex neceſſitate eſt bonum:& quicquid malum probatũ euidenter fuerit,id malum eſt.Similiter & verum ac falſum. Quo enim pacto materiarius faber regula,ædificator perpendiculo rectis ac nõ rectis vtitur diſcernendis,ita Philoſophus demõſtratione, vt veritatem falſitatémq;,& bonum & malum diſcernat.Porrò demonſtratio ſyllogiſmus eſt ſcientiam pariens: latius enim q̃ ſyllogiſmus ſcientiam pariens patet is qui ſimpliciter eſt ſyllogiſmus. nam ſimpliciter ſyllogiſmo accedens certa aptáq; materia, eodem modo perpetuóq; ſe ſimiliter habens demonſtratiuum ſyllogiſmum conſtituit.Verum quoniam docere de demonſtratione nõ poterat,niſi prius quid eſſet ſimpliciter ſyllogiſmus docuiſſet:quemadmodum nec rectam aut curuam figuram ſcribere quiſquam valet,niſi ſcribere ſimpliciter prius didicerit: rurſus vero ſimpliciter ſyllogiſmus ſine propoſitionibus tradi nõ poterat, eſt enim collectio multarum orationum, vt vel nomine ipſo indicatur:propoſitiones autem ſine nominibus ac verbis, nam ex ijs compoſitæ ſunt: at nomina & verba citra ſimplices voces,etenim ſignificatiua vox eſt nomen & verbum,de vocibus prius ſimplicibus iure differit. Vniuerſaliter enim contemplationis finis fit actionis principium:cõtráq; actionis finis principium contemplationis:verbi grat. ædificator domo propoſita ſecum ait,domum inſtitui fabricandam,quod operimentum eſt imbribus æſtibúſq; arcẽdis: verum hoc niſi tectum fiat ædificari non poteſt:hic igitur contemplationem inchoat: procedens vero inquit,ſed hoc fieri nequit non extructis parietibus:neq; extrui poſſunt ij non iactis fundamentis:neq; hæc rurſus iaci non effoſſa terra. Hîc contemplatio deſijt, inde ergo initium capit actio:nam primum terram defodit,tum ſic iacit fundamenta,dehinc parietes erigit,poſtremo faſtigium imponit,quod finis eſt actionis:at actionis principium, finis eſt contemplationis.Perinde igitur & Philoſophus facit. Nã demõſtrationem cõficere cogitans ſecũ inquit,libet de Demonſtratione dicere:verum quoniã demõſtratio ſyllogiſmus eſt ſcientię opifex,non poteſt is de eo verba facere,qui antea quid ſyllogiſmus ſit non prodiderit:neq; ſimpliciter ſyllogiſmũ edocebimur,niſi quid ꝓpoſitio ſit didicerim⁹:propoſitiones enim orationes quædã ſunt,quarum collectio eſt ſyllogiſmus. Quare nõ cognitis propoſitionibus ſyllogiſmum perdiſcas nequaquã licebit:ſiquidẽ ex ijs conſtat:ſed neq; propoſitionem ſine nominibus ac verbis, ex quibus omnis cõſtituta eſt oratio:noſa autẽ & verba ſine vocibus ſimplicibus:ſiquidem horũ quodlibet ſignificatiua vox eſt:proinde ante de ſimplicib⁹ eſt vocibus dicẽdũ.Hîc ergo ceſſauit contẽplatio, ſítq; hoc actionis initium.

Nam in Prædicamẽtis de ſimplicibus primum agit vocibus,tum ita in libello de Interpretatione,de Nominibus,Verbis,Propoſitionibúſq;:poſtea de Syllogiſmo ſimpliciter in reſolutorijs Prioribus: demũ in Poſterioribus Reſolutorijs de Demonſtratione. Hic ergo finis eſt actionis, quod erat contẽplationis principium. Iure igitur primum hoc loco de ſimplicibus vocibus diſputat . Homines enim publicè conuenientes ſuum cuique rei nomen mutuò indiderunt,id ſolum nimirum curantes,vt res inter ſe per voces ſignificarent,non tamen vt dicerent quid nomen ſit aut verbum. De ijs igitur in Prædicamẽtis ediſſerit. Sed quoniam non de vocibus agit ſignificatu carentibus(neque enim harum rationem habent Philoſophi vllam)conſtat de vocibus conceptus ſignificantibus haberi ſermonem:neceſſe eſt enim vt ſi ſit res,eius quoq; nomen exiſtat, & ante hoc notio quã de re habemus.vt Socratis nomen, eſt vox Socrates:res autem,Socrates ipſe:notio quæ in animo hæret,cognitio de Socrate. Eſt igitur intentio Ariſtoteli de ſimplicibus vocibus res ſimplices per medios ſimplices conceptus ſignificãtibus dicere.Atq; hæc quidẽ de intẽtione. Quòd autem vtilis liber ad partẽ philoſophiæ contemplatiuam actiuámq; ſit,ex prædictis dilucet,ſi demonſtratio quoque,vt oſtendimus,citra ſimplices voces nequit cognoſci.Et quoniã de cõmunitatibus,in quas entia omnia diuidunt,ediſſerit (cauſa vero inſcriptionis id genus eſt) Prædicamẽta,ſiue,vt græci dicũt,Categoriæ inſcriptus eſt liber: nõ ꝙ de Categorijs hoc eſt accuſationib⁹ quę in foro agitant,diſputet:(nõ enim Rhetorẽ agere inſtituit)ſed quẽadmodũ in introductionib⁹ quoq; didicim⁹, duplex eſt generũ differentia: nã quædã generaliſſima ſunt,& genera dũtaxat:nõnulla ſubalterna,quæ ſpecies generáq; dicunt,ſuperiorũ quidem ſpecies,genera autẽ inferiorum: ac prædicãtur ſolum quidẽ generaliſſima,ſubalterna vero prioribus ſubiacent,de poſterioribus prædicãtur: hic autẽ de decẽ generaliſſimis agit generibus,quæ prædicantur tantum,ſubiacent nunq̃:ob id igitur Categoriæ,id eſt Prædicamenta librum inſcripſit , quaſi dixerit,de generibus ijs,quæ duntaxat prædicantur. Ordo lectionis ex intentione clareſcit . quoniã enim contemplatio huc vti diximus terminauit, inde inchoanda eſt actio:ac quoniam ſimpliciora oportet cõpoſitis anteire,ſimplicior autẽ eſt decem Prædicamentorum præceptio,ſi vt proditum eſt de decem vocibus tractat,quæ ſimplices res conceptuum ſimplicium interuentu ſignificant . Librum omnes Ariſtotelis legitimũ eſſe teſtantur,id quod & locutio declarat,quódq; in alijs cõmentationibus Philoſophus libri meminerit. Enimuero duobus inuentis(vt dictum eſt)Prædicamẽtorum voluminibus, tum in cæteris, tum in exordio prope conſimilibus (eſt enim alterius initium, Entium quædã æquiuoca ſunt, quædã Vniuoca:quod idẽ ferme eſt cum huiuſce libri principio) hic verus iuſtúſque eſſe Philoſophi iudicatus eſt liber ab interpretib⁹ omnibus. Diuiſio libri in capita tripartito diſtincta eſt,in Anteprædicamenta, Prædicamenta, Poſtprædicamenta. In prima ſectione docet vtilia ad Prædicamentorũ doctrinã. Vt enim conſueuerunt Geometrę vtilia ſpeculaminibus tradendis quid punctum,quid linea,quid circulus ſit prius docere,ne inter docendum aut peregrinis vti noibus,aut de ijs quicq̃ præcipientes digredi,ac propoſiti ſeriem ꝺ[illegible]mpere cogerentur, perinde quoque hic Philoſophus,quoniã futurum erat vt in Prædicamẽtorũ doctrina dictiones quaſdã aut voces nobis ignotas cõmemoraret, eã ob rem de ijs primum edocet,ne ſermonẽ turbare ac cõfundere videat. In ſecundo ſegmento de ipſis docet Prædicamentis.In tertio rurſus de quibuſdã agit vocibus,quarum in Prædicamentorũ præceptione cõmeminit,vt de verbo ſimul,prius,atq; habere.At quam ob cauſam ante Prædicamenta nõ vnà de omnibus docuit? quoniã inquam voces hæ partim incognitæ oĩbus ſunt,vt æquiuocum, vniuocum,(horum enim notionẽ nullã habet bona pars hominum)partim nota quidem ex vſu,ſed quę aliqua tamen articulata declaratione egeant,vt ſimul,priúſq;. Quæ ergo ignota planè ſunt,ea doctrinæ prædicamentorum neceſſariò præmiſit:quando ſi ignorarentur illa,vtiq; eramus ea quę de Prædicamentis traduntur haud quaq̃ intellecturi:vtitur enim ijs ad Prædicamentorum præceptionem.Reliqua vero,inarticulatè inquam nobis cognita,poſt Prædicamenta edocemur, ne longum faciat exordium , atq; inſtituto opere acceſſorium prolixius redda⁹. Porrò adinuenta eſt in partes diuiſio ad operis perſpicuitatem. Vbi enim quot libri capita ſint,ac de quibus verba fiant didicerimus , dicta aſſequemur facilimè,nec ea confuſè atque indiſtinctè capiemus.

DE AEQVIVOCIS.

AEquiuoca dicuntur quorum nomen ſolum commune eſt, ſecundum nomen vero, ſubſtantiæ ratio diuerſa. Vt animal, & homo, & quod pictum eſt. Horum enim ſolum nomen commune eſt, ſecundum nomen vero, ſubſtantiæ ratio diuerſa. Si enim quis aſſignet quid ſit eorum vtrunq; quo animal eſt, propriam aſſignabit vtriuſq; rationem. *Textus primus.*

AEquiuoca dicuntur quorum nomẽ ſolum commune. Si nudi noſtri eſſent ſolutíq; corporibus animi, res inter ſe ſignificare per ipſos conceptus valerent: verùm quoniã deuincti ſunt corporibus nebulæ inſtar intellectricem vim eorũ obtegẽtibus, indiguere nominibus, quibus mutuò res indicarent. Sciendũ itaq; eſt, nos adinuicẽ res vel per nomina vel per finitiones declarare. verbi gratia & per vocẽ homo, & per finitionẽ dicentem animal rationale mortale, hominem declaramus. Sed cum per vocem homo deſignamus hominem, cõprehenſam ipſius declaramus naturam: cum notamus finitione, quæ particulatim homini adſunt contẽplamur. Res igitur inter ſe aut cõmunicant nomine, definitione vero differunt, vocantúrq; æquiuoca: aut cõmunicant definitione, & differunt nomine, quę multiuoca nũcupantur: aut & nomine, & finitione cõueniunt, hæc appellant vniuoca: aut demũ finitione ac nomine diſſident, quæ diuerſiuoca nominãtur. Cæterum aliud diuerſum eſſe, aliud diuerſiuocum oportet intelligas. Sunt quidem diuerſiuoca, res quæ circa vnum idémq; ſubiectum conſiderantur, nomine autem impartiũtur diuerſo, vt aſcẽſus in ſcalis deſcenſúſq;. Atq; aliter quidem aſcenſus definitur, aliter deſcenſus. nomina quoq; diuerſa ſunt: aſcenſus enim atq; deſcenſus. hæc igitur propriè diuerſiuoca nominant: diuerſa autẽ quæ in omnibus alia ſunt tum ſubiecto tum nomine, vt homo & equus. Porrò de ſolis æquiuocis ac vniuocis præceptionem facit, quòd ſolis ijs in prædicamentorũ explicatione egeat: nimirũ in hoc quoq; æmulans geometricum genus docendi: nam & illi ſola ea à quibus in propoſito libro iuuantur vel theoremate in principio aſſumere conſueuerũt. Vel etiam aliter dixeris, nẽpe cum amator ſit perpetuus breuitatis, per hæc de cęteris quoq; nos poteſtate edocere. Siquidẽ cognitis ijs, manifeſta & reliqua erunt, vtpote oppoſita: eſt enim oppoſitorũ ſcientia eádem. Nam qui æquiuocũ quid ſit nouit, huic quoq; oppoſitũ nouerit, multiuocũ inquam. Si enim æquiuocum id eſt quod cõmunicat nomine, re autem eſt differens, vt mus, & marinus, & terreſtris: ergo multiuocũ eſt id quod huic ex aduerſo eſt poſitũ, quod re ſcilicet idem eſt, nomine diſcrepat, vt enſis, gladius, ſpatha. Similiter qui etiã quid vniuocum ſit intelligit, nempe quod finitione conſentit ac nomine, vt homo, Socrates, & Plato: is etiã quid ſit diuerſiuocum callebit, nimirum quod finitione nominéq; diſcordat, vt aſcenſus ac deſcenſus: etenim & nomine, & re diſtat, tametſi idem vtriq; ſubiectũ rei ſit. Vt enim eſſe aliud frumẽto eſt, aliud ſemini, aut fructui, ita eſſe aliud ſcalis eſt, aliud aſcẽſui deſcenſuíq;: quandam enim habitudinem actionis circa ſcalas hæc indicãt nomina. Prępoſuit autem in docẽdo Ariſtoteles æquiuoca, quoniã ſimpliciora ſunt, communicántq; vno dũtaxat nomine: quódq; priora natura ſint æquiuoca vniuocis: ens enim, æquiuocè de prędicamentis dicitur, nec vniuocè. Cæterum niſi hęc cõuenerint omnia, nequit æquiuocũ fieri: idẽtitas nominis, toni, generis, caſus, ſpiritus, terminationis. nam ſi aliud atq; aliud nomen ſit, conſtat nõ eſſe æquiuocum, quod ſi idem ſit nomen, tonus autẽ diuerſus, neq; id æquiuocum eſt, vt ἄρχω & ἀρχός. primũ enim penultimã acuit, & Vlyſſis canem ſignificat: alterũ acuta vltima ſocordem deſignat. Et ſi maſculinũ ſit ἄρχω, ſignificat vel canem Vlyſſis vti diximus, vel Herois eſt nomen: ſin neutrum, nomen ciuitatis. Similiter βίω & βιός. habẽte enim tonum penultima, vita eſt: βιός autem eſt arcus, ſi vltimã acuas. Et rurſus ſi ſint hæc, idem vero caſus nõ ſit, non facit æquiuocum, vt ὁ ἐλάτης & τῆς ἐλάτης. illud enim recti eſt, & aurigam ſignificat, aut alium quẽpiam qui agit equum: hoc vero & fœminini generis eſt, cum illud maſculini ſit, & genitiui caſus (nam ἡ ἐλάτη τῆς ἐλάτης) éſtq; arboris nomen. Spiritum quoq; eundem habeat oportet. Si enim diuerſus ſit ſpiritus, non erit æquiuocum, vt in verbo οἴω: id enim qualis ſignificat: ſed & ſolus ſignificat: ac cum qualem indicat, aſpirationem habet: cum ſolum, tenuatur. Eadem quoque opus eſt terminatione, id quod perſpi-

cuum arbitror: ἐλάτης enim & ἐλάτη terminatione differentia, non ſunt æquiuoca. Quærũt vero nonnulli cur non æquiuocum, ſed æquiuoca dixerit. Quoniam æquiuocum, inquam, non eſt vnum: non enim ipſum ſibiipſi quicquam eſſe æquiuocum dicitur, verũ plura (nam aliud alij æquiuocum eſt.) quoniam ergo vnum eſt nomẽ, res autem multas declarat, idcirco pluraliter dictum eſt. Sed rurſus addubitãt cur græcè ſcriptum ſit ὁμώνυμα λέγονται, id eſt æquiuoca dicitur, non λέγονται, hoc eſt dicuntur. Quoniam æquiuoca, inquam, etſi multa ſunt, quatenus tamen æquiuoca, ſunt vnum (vnum enim eſt, quod de multis prędicatur nomen) propterea dicitur ſingulariter protulit, plurale eſt enim dicuntur. Alia ratio. Græcis mos eſt in neutris nominibus ſi tertiæ perſonæ verbis iungãtur, ſingularem numerum pro plurali vſurpare, vt πρίχα τὰ παιδία, id eſt currit pueri: ἐσφάλται τὰ βίβλια hoc eſt libri deprauatus eſt: & οὐκ ἐβλάστησε τὰ δένδρα, non germinauit arbores: cauſam tradunt grammatici: ſic plurali quoq; hîc recto, qui eſt æquiuoca, ſingulare illatum eſt verbum, quod eſt dicitur. Neq; vero nos prætereat, tria hæc eſſe inter ſe differentia, æquiuoca, æquiuocatio, ęquiuocè.

Sũt æquiuoca, res ipſę: ęquiuocatio, reſpectus is, ſecundũ quẽ nomine cõmunicarunt: ęquiuocè, ipſa quæ de reb⁹ eſt prędicatio. Illud quoq; intelligẽdũ, ſtatim declaratã ex proœmijs libri intentionem (ait enim ęquiuoca dicuntur) nam per verbũ ęquiuoca, res: per dicũtur, voces ſignificat: res autẽ à nobis per medios cõſideratur cõcept⁹. Æquiuocorum autẽ prędceptionem per æquiuocas voces cõfecit: nam idipſum quoque æquiuocũ, æquiuocum eſt: cũ pluribus modis dicat. Sũt enim æquiuoca quædam à fortuna, nõnulla à cõſilio. A fortuna, vt cum in locis quidã diuerſis idem nomẽ habẽtes fuerit, vt Alexander Paris, & Alexãder Macedo. A cõſilio, vt ſicui libeat ſeruos quouis noíe appellare. Horũ quæ à prælectione conſilióq; proficiſcuntur, aliqua à memoria fiũt, vti cũ quis filium ſuũ maiorum nomine vocauerit. Alia à ſpe, velutivbĩ filium ſuũ philoſophum fore quiſquam expectans, Platonẽ nominauerit. Ac ſæpenumero vſu venit vt quod factum à memoria eſt, ĩdito à ſpe nomini cõcurrat: vtiq; cũ cõpertus auus fuerit tale ſtudij gen⁹ tractaſſe. Alia ab analogia ſeu proportiõe, cũ ab alicuius rei ꝓportiõe, quid quam nũcupabimus, vt pedẽ lecti, ac mõtis verticẽ. Quã



Quod factum eſt à memoria, ſæpe nomini à ſpe indito concurrit: vt vbi quis filium ſperans auo ſimilem fore, aui nomen ipſi impoſuerit, tum memoriæ cauſa, tũ quòd talem ipſum ſperet futurum.

enim pes ad hominem,eam quoq; pes lecti ad lectum rationem obtinet. Sunt etiam quæ ab vno dicantur,verbi cauſa cũ orſi ab aliquo,illius appellatione quęcunq; ab eo deducũtur,vocabimus.vt medicum volumẽ,medicum pharmacum. Sunt & quæ ad vnũ, ſicuti quando ad finem quẽpiam futurum reſpicientes, ad illum ea nominabimus, vt ſalubris exercitatio, ac potio ſalubris. Cæterum differunt hæc ab ijs quæ ab vno denominantur, quòd ab aliquo principio dicantur illa,hæc ad finem aliquem ſpectent. Quæ autẽ ab vno proueniunt,partim vt ab exemplari cauſa appellantur,vt homo in tabula depictus ab aliquo vero homine:partim ab efficiente,vt medicum ſcalpellum. Porrò quærendum hoc loco eſt,quónam Æquiuocorum ſignificatu de æquiuocis doceat Ariſtoteles. Itaq; eo dicimus qui ab vno eſt. Nominatus enim pictus à vero eſt homine. Quidam autẽ cur æquiuoco à proportione vſus non ſit, indagarunt, id quod eſſe melius videtur. Quoniam inquam quod in proportione eſt,id in quatuor minimum ſpectatur. Dicimus enim,exẽpli gratia,duo ad octo proportionem habere,vt decem ad quadraginta (quadruplam enim rationẽ vtraq; obtinent):æquiuoca autẽ etiam in duobus ſpectantur: iure igitur de æquiuocis ſecundum proportionem non diſputat. Sunt vero qui dicant multiuocorum mentionem non ideo factam,quòd eadem nomine æquiuoca inueniantur, definitione differant: contra multiuoca: proinde Philoſophum quaſi de rebus differẽtem nomina neglexiſſe,quippe cum ea ſcrutari grammaticos deceat. Aliter quoq; de ſolis agit his in præſentia (id quod iam dixi) quæ ipſi ad prædicamẽtorum doctrinam ſunt vtilia. *Dicuntur.* Subaudiendum eſt res:vt ita ſit, æquiuocæ res dicuntur, quarum nomen ſolum commune. At cum dici ea inquit,apud veteres quoq; circunferri nomen indicat,neq; ſuam eiuſmodi eſſe nominis impoſitionem:etenim Plato quoq; eorũ meminit,& Poëta, cum de Aiacibus dicit:æquali nomine appellati. Vbi autem nomen ipſe impoſuerit, ait voco,vel ſit: vt in reſolutorijs, Terminum autem voco:& in libro de interpretatione, Sítq; hoc contradictio. *Quorum ſolum nomen commune.* Nunquid igitur non eſt in verbis æquiuocatio? certè eſt:dicimus enim *fero,ſignificátq; hoc & porto,& dico. Quónam pacto ergo æquiuoca eſſe ea inquit quæ ſolum nomen commune obtinent? Reſpondebimus ad hoc,dici dupliciter nomen:partim vt verbo opponatur: partim communiter de omni dictione,qua ſignificatione vox omnis ſignificatiua nomen vocatur: vt in libro de interpretatione,inquit: Ipſa igitur,quæ per ſe dicũtur verba,nomina ſunt,atq; aliquid ſignificant. Hic ergo nomen dicit,non quod aduerſus verbum diſtinguitur, ſed quod de voce omni ſignificatiua prædicatur communiter. Quamobrem *fero, quod tum porto, tum dico ſignificat, æquiuocum eſt:habet enim *fero nomen commune,finitionem diuerſam. Ergo & in verbis æquiuocatio eſt. *Solum commune.* Bifariam dicitur ſolum: vel vnicum, vt cum ſolum dicimus ſolem,aut ſolam lunam:vel quod ediuerſo à cõiugato diſtinguitur,vti cũ dicimus relictus eſt in prælio haſtã ſolum habens: tametſi nihil prohibet quo minus & calceos habeat,& veſtem:ſed ad ſcuti,vel armorum aliorum differentiam. Et in prandio panem habebant ſolum:quanquam nil vetat &veſtem habere:ſed ad obſoniorum diſtinctionẽ.hic ergo vt ad cõiugatum,verbum ſolum,reddidit,finitionem inquam. ¶ Dictio autẽ commune quatuor dicitur modis:vel vt id quod citra diuiſionem poſſidetur,vti cum ſeruum dicimus communem:eſt enim hic ſubſtãtia indiuiſus,vſu vero diuiduus. vel quod ſectũ in partes à pluribus habetur,vt commune prandium dicimus, & agrum communẽ: non enim ſumus omnes totius participes, ſed quilibet partis. Vel quod eſt in præoccupatione,vt in theatro locus communis:prẹoccupantis enim fit. Vel quod ſimul à participibus ex æquo capitur, vt præconis vox communis vocatur: hanc enim omnes pariter audiũt: neq; vnus hanc ſyllabam,alius illam:humana etiam natura cõmunis participãtium omnium eſt,eam ſiquidem ex æquo particulares obtinemus homines. hic ergo cõmune accepit eo ſignificatu,quo cõmunis dicitur vox,quæ æqualiter exauditur. *Secundum nomen autem ratio ſubſtantiæ diuerſa.* Cum ea expoſuerit quæ inſunt æquiuocis, nunc quæ eis non competunt apponit:vt ne in ea ſolum ex communitate valeamus, ſed ex differentia quoq; dignoſcere. Cęterum quærẽdum eſt,cur non quorũ nomen ſolum commune dixerit,ratio vero ſubſtantiæ diuerſa,ſed ſecundũ nomen autẽ ratio ſubſtantiæ diuerſa? Dicimus poſſe

*Rectè mutauit exẽplũ interpres,græce eſt ἐρῶ, & ſignificat dicam, & amo.

*ἐρῶ,quod dicam & amo ſignificat,

*ἐρῶ.

æquiuoca alio etiam alióq; reſpectu eſſe vniuoca, quippe Aiaces quatenus ſunt homines, vniuoci ſunt: ſiquidē hominis nomē finitionémq; ambo ſibi vēdicant: nam ipſorū vterq; animal eſt rationale mortale. qua vero ratione Aiaces, æquiuoci. Ne ergo finitionē quālibet, ſed nomini in quo cōueniunt conſentaneam capiamus, rectè ſecundū nomen autē ratio dixit. Aiaces enim ipſum hoc nomē commune habēt, rationem vero ſecundum id ipſum non etiam eandem, verum alter ex Salamine, Telamonis filius, cum Hectore ſingulari certamine cōgreſſus: alter Oilei, ex Locride, pedibus celer, ſagittarius. *Secundum nomen autem ratio.* Cur non, ſecundū nomen autem finitio, ſed ratio dixit? Quoniam non in rebus (aiunt) omnibus ſuppetit nobis finitionum facultas, ſed interdum deſcriptione vtimur, vbi per finitionē res expromere non licet. Certè generaliſſimorū generum aſſignari finitio minime poteſt, ſiquidem cōſtat finitio omnis ex genere & cōſtitutiuis differētijs, genus autem quod hæc ſuperet nequaquam reperiatur, vt ex eo ac differentijs, ipſorum finitionē reddamus. Quapropter neceſſe eſt ea, tametſi deſcriptione, explicare. propterea igitur non dixit ſecundum nomen autem finitio, quoniam quæ per deſcriptionem deſignantur, omiſiſſet: hanc autem vſurpare in omnibus licet, quam ex ijs quæ rebus per accidens inſunt, accipimus. Illud tamen affirmauerim, ſuperuacuum eſſe, in quibus exponi res finitionibus valent, eas deſcriptione declarare. At quamobrem igitur non dixit ſecūdum nomē autem definitio vel deſcriptio? quoniam, inquam, breuitatis amator, id quod de ijs cōmuniter prædicatur, quod eſt ratio, protulit: ratio enim tum finitio tū deſcriptio ſubſtantiæ dicitur. Vtrum ergo non eſt & in accidētibus æquiuocatio? profecto hoc videmus. Prædicatur nanq; acutum de ſapore & voce: dicimus enim acutum ſaporem, & vocem acutam, & acutam molem. Non ſecus graue quoq; & de voce prædicatur, & mole, & animi moribus, vt cum dicimus grauis homo. Quomodo ergo ſubſtātiæ dixit? quoniam duplex, inquā, Ariſtoteles ſignificatum nouit ſubſtantiæ. Vnum, quod ab accidētibus ex oppoſito diſtinguitur, ac per ſe ſubſiſtit, illis eſſe in alio habentibus, in ſubſtantia inquam: alterum penes quod omnem ſimpliciter eſſentiam ſubſtantiam vocat: in quo ſignificatu vſus eſt ſubſtantiæ nomine, accidentibus quoq; aſſumptis. Quid igitur tandem omnino adiecit ſubſtantiæ, nec dixit, ſecūdum nomen autē ratio diuerſa? Reſpondemus, ne quis finitione vocis deprompta dicat æquiuoca eſſe vniuoca. Licet enim huius vocis Aiax finitionem vel deſcriptionem aſſignare, ſi dicamus, Aiax eſt vox diſyllaba, tenuis, maſculini generis: atq; hactenus vniuoci erunt Aiaces. Ob id ſubtiliter addidit, ſecundū nomē autem ſubſtantiæ, hoc eſt eius quę à nomine indicatur. Quidam etiam ſciſcitantur, num quandoq; & æquiuoca ſint vniuoca? communicant enim inter ſe tum nomine æquiuoci tum finitione: nam prædicatur de Aiacibus & æquiuocum ipſum, neq; id ſolum, ſed finitio quoq; æquiuoci: quippe vterq; eorū habere cum altero nomen commune perhibetur, rationem verò ſubſtantiæ competentē nomini diuerſam: ſic igitur oſtenſum eſt, & æquiuoca eſſe vniuoca. Quid ergo dicemus? primum haud quaquam abſurdum eſſe, ſi ſecundum aliud atq; aliud eadē æquiuoca ſint & vniuoca: & imò vero neceſſe eſt. Aiaces enim qua ratione ſunt homines, vniuoci ſunt: qua Aiaces, æquiuoci. Sic & hoc loco, quatenus Aiaces, æquiuoci: cū enim ſolam hanc vocem quæ eſt Aiax cōmunem habeāt, finitione ei congrua differūt. Quatenus autē æquiuoci, vniuoci ſunt: cū non æquiuoci appellatione dūtaxat, ſed finitione quoq; ei addicta cōueniant. Alia ſolutio. Non poſſunt hæc vniuoca nuncupari: quādoquidem vniuocorū tum cōmuniter nomen ac finitio, tum peculiariter de quouis per ſe atq; in nullo reſpectu prædicatur: vt animal, & cōmuniter de ſubiectis ei dicitur omnib⁹, & de quolibet priuatim. Fertur enim Socrates eſſe animal, equus animal: ſed & definitio, ſubſtantia animata ſenſu prædita, quæ finitio eſt animalis, prædicatur & de omnibus cōmuniter particularibus animātibus, & ſeorſum de ſingulis: etenim Socrates, ſubſtantia animata ſenſus compos: & equus ſimiliter. In æquiuocis autem nō ita: non enim poteſt de quoq; ſingillatim citráq; reſpectum nec nomen nec finitio prædicari: nā æquiuocus per ſe Aiax non dicitur, ſed neq; ſolum nomen habet cōmune, ſecundum nomen autem diuerſam ſubſtantiæ rationem, verum æquiuocus alij dicitur: minimúmque de rebus duabus æquiuoci prædicabitur appellatio, quoniam & ex eorū numero eſt quæ

in reſpectu habentur. Secari vero æquiuocum poteſt non ſecundum diuiſionem dũtaxat ſuperius traditam, ſed & magis variè, nimirum modo ſubiecto.

A *fortuna, vt ſi qui Athenis & hic eodem vocati ſint nomine.*

AEQVIVOCA

A *conſilio. cum ad quẽpiam reſpiciens cogitatio nomina imponit.*

A *quo denominatiua, inter ſe antẽ æquiuoca, vt à medicina medica inſtrumenta: denominatiuè enim ab ea dicuntur.*

Et *à quo, & inter ſe æquiuoca, veluti cum quis patris nomine filios vel nepotes vocarit.*

A *cauſa quadam efficiente. hæc ab vno dicuntur, vt à medicina medica inſtrumẽta: ab illa enim denominatiuè dicuntur.*

A *fine. & dicuntur ad vnũ, vt ſalubris cauſa, & exercitatio, & victus. Ad vnũ enim finẽ ſpectãt, ſanitatẽ.*

A *equæua inter ſe, & cum eo à quo.*

A *equæua inter ſe, non cum eo à quo.*

Qualem igitur hoc loco Ariſtoteles æquiuoci ſignificationem aſſumit? nempe forma ſimilem. Quidam eã putãt quæ eſt ab vno: eſt enim ab homine vt à cauſa imago. Vtrũq; autem verum eſt. Vt *animal, & homo, & id quod eſt pictum.* Horum enim communis nominatio eſt, nam vtrunq; animal dices: non eſt autem finitio eadem, quandoquidem ſi alterũ defi nias, dices ſubſtantiam animatã ſentientem: alterum, ſimulacrũ ſubſtantiæ animatæ ſentientis. *Siquis enim aſſignet eorum vtriq;, quid ſit propter quod animal eſt, propriã vtriuſq; rationẽ aſſignabit:* Cum hæc tria ſint: materia, & forma & cõpoſitum, finitiones rerum quãdoq; à materia conficimus, nonnũquã à forma, interdũ à cõpoſito. Atque ex materia quidem, irã eſſe dicimus, ſanguinis coram bientis feruorẽ (hic enim materia eſt iræ:) à forma autẽ, appetitũ dicimus vlciſcendi: à compoſito, ſanguinis feruorem cor ambiẽtis, ob vlciſcendi appetitũ. Cæterũ quæ propriè habẽt finitio, à forma deſumitur, nã rebꝰ communiõis cauſa eſt materia, forma autẽ, differentiæ: nos vero finitionibꝰ res à ſe inuicẽ diſcernere volumus. Quãobrem cũ hîc etiã à forma ipſarũ finitionem promere Ariſtoteles velit, nõ quid ſit eorũ vtrũq; eſſe animal dixit (hoc enim compoſitũ ſignificat, nimirum materiam ac formã) ſed quid ſit eorũ vtrique eſſe animali, hoc eſt



quid in vtroq; eorum ſit propter quod ſunt animalia, vt finitionem ex forma declararet: huius enim ratione ſunt animalia. Qui autem quare horum vtrũq; animal dicatur expoſuerit, propriam vtriuſq; aſſignabit rationem, vt ſupra diximus.

DE VNIVOCIS.

VNiuoca vero dicuntur, quorum & nomen commune eſt, & ſecundũ 2
nomen eadem ſubſtantiæ ratio, vt animal, & homo atq; bos. communi enim nomine horum vtrunq; animal nuncupatur, & eſt ratio ſubſtantiæ eadem. Siquis enim aſſignet vtriuſq; rationem, quid vtrunq; eſt quo animal eſt, eandem aſſignabit rationem.

VNiuoca autem ea dicuntur, quorum & nomen commune eſt, & ratio ſubſtantiæ nomini conueniens eadem, vt animal, & homo & bos. &c.

Abſoluto de æquiuocis ſermone, deinceps de vniuocis tractat. Patet autem & vniuocorum præceptio ex æquiuocis, eadem enim dicenda, quæ & in æquiuocis recenſuimus: nempè quòd non in nominibus tantum vniuocatio, ſed in verbis quoq; conſiſtat: quòd item ſit & in accidẽtibus vniuocatio. Nam verbum alterare vniuocum eſt: alterare enim dicitur & qui dealbat, & qui denigrat: eandem vero & finitionem admittunt: nam ipſum alterans definientes, id eſſe dicimus, quod in aliud mutãdi qua ratione aliud eſt, in ſeipſo principium obtinet. Hoc & in dealbante dicere, & in denigrãte conueniet: ſiquidẽ quoduis alterans, eorum in ſeipſo principium habet, quæ alterantur mutandorum, éſtq; aliud ab ijs quę alterantur. Nam niſi aliud eſſet, ne alteraret quidem. idcirco, qua ratione aliud, additum eſt. Porrò exemplo eodem animalis data opera vtitur, vt idem poſſe alia atque alia ratione & æquiuocum & vniuocũ eſſe appareat. In homine enim vero & picto, æquiuocum animal eſt: in homine autem & boue, vniuocum.

DE DENOMINATIVIS.

DEnominatiua vero dicuntur, quæcunque ab aliquo differentia ca- 3
ſu, ſecundum nomen habent appellationem: vt à grammatica grãmaticus, & à fortitudine fortis.

Denominatiua vero dicuntur, quæcunque ab aliquo differentia caſu, ſecundum nomen appellationẽ habent.

Poſtquam de Æquiuocis præcepit atq; Vniuocis, de Denominatiuis meritò diſſerit: ſiquidem hæc difficiliorem minúſque extricabilem habent complexum. Cum enim ſolo nomine ſocientur æquiuoca, finitione vero diſſideant: rurſus vniuoca, & nomine, & finitione cõmunicent, hæc nec omninò cõueniunt nomine, nec planè diſſentiunt: ſimiliter & finitione partim communicant, partim differunt. Enimuero hæc ſub quatuor coniugationum quas enumerauimus complexum haudquaquam rediguntur: æquiuocorum inquam, & multiuocorum, & vniuocorum, & diuerſiuocorum. Nam cum illa vel ex nominis ac finitionis ſocietate, vel vtriuſq; differentia, vel vnius communitate, alterius differentia propriam notam ſortiantur: hæc nec in vtroque omnino conueniunt, nec penitus diſcrepant: ſed nec in altero exactè cõueniunt, in altero diſſidẽt: verum in vtroq; aliquatenus congruunt, aliquatenus diuariant. Quidam ſtatuenda ea cenſent inter æquiuoca & vniuoca: ſiquidem cum nomine ſolo concordent æquiuoca, finitione diſcordent, vniuoca autem vtroq; conſocientur: hæc nec nomine ſimpliciter nec finitione conſentiunt: Verum ijs cõmodius inter vniuoca & diuerſiuoca locum dabimus. Cum enim in vtroq; conueniant vniuoca, diuerſiuoca in vtroq; varient: hæc modo quodã in medio ſunt, atq; in vtroq; partim cõmunicant, partim diuerſa ſunt. Porrò in Denominatiuis quatuor hęc adſint neceſſe eſt: communitas rei, differentia rei, cõmunitas nominis, circa finalem ſyllabam differentia. ſi enim horum vnum aliquod deſit, denominatiuũ non erit amplius. Sit cõmunitas circa nomen ac differentia, ſit circa rem quoq; communitas, differẽtia ne ſit, denominatiuũ non eſſe aio. vt in πλάτανος & πλατάνιστος, id eſt platanus, & παρθένος

& παρθονικὴ hoc eſt virgo:res enim ab ambobus indicatur eadem, éſtq; παρθονικὴ & πολατένις ☉ poëticum: πολατην ☉ autem & παρθέν ☉ proſæ orationis. Rurſus cætera omnia ordine ſint, ne ſit circa rem communitas, pariter quoq; Denominatiua nõ erunt, vt in Helena & Heleno. Sint iterum deinceps omnia, abſit finalis differentia ſyllabæ, vt in muſica & muſica muliere: nam hæc ſunt æquiuoca, nõ Denominatiua. Rurſus alia ſint, nec ſit aliqua in nomine communitas, neq; erunt Denominatiua, vt in virtute & ſtudioſo: neq; enim à virtute dicitur virtuoſus. propterea q̃ huius vocabuli veteres ne per ſomnij quidem veſtigium meminerunt. ⌊ ſed contra, nomen inauſpicatum norũt poëtæ. Quiſnam alius te, ſit iunior quanquam ille, iuuabit Inarete. hoc eſt cõpos in malam partem virtutis. ⌉ Sed neq; à ſtudio deducitur ſtudioſus, quod ſimiliter de vitio ac virtute dicitur: ſtudioſus autem ſolus eſt virtute præditus. Quamobrem ſtudioſus, quod ad vocem attinet, à ſtudio deriuatum eſt: quod vero ad ſignificatum, non item, ſed à virtute eſt deductum. ¶ Per id autem quod dixit *Secundum nomen appellationem habent*, communitatem declarauit nominis. Vel hoc modo, Cum quandam ea cum illo ab aliquo ſocietatem habere pronũciauerit, penes rem communicationem ac diuerſitatẽ aperuit. Nam ſi ab aliquo, conſtat quandã ea cum illo, quatenus ab eo prodeunt, ſocietatẽ obtinere: quòd ſi omnino ab aliquo, ea quoq; differre cõpertum eſt: nam niſi differrẽt, minime ab aliquo dicerẽtur. Cum dixit differentia caſu, finalis ſyllabæ diuerſitatem indicauit. Docet autem de Denominatiuis Ariſtoteles, quòd ea quoq; ad doctrinam de Prædicamentis vſum afferant.

⌊ *Melius eſt, hæc omittere, neq; enim cõmodè Latinè verti poſſũt.*

DE IIS QVAE DICVNTVR.

4 EOrum quæ dicuntur, alia quidem ſecundum complexionem dicuntur, alia vero ſine complexione. Ea igitur quæ ſecũdum complexionem dicuntur, ſunt vt homo currit, homo vincit. Ea vero quæ ſine complexione dicuntur, ſunt vt homo, bos, currit, vincit.

Eorum quæ dicuntur, alia per complexionem dicuntur, alia ſine complexione.

Hinc ad doctrinam de prædicamentis ingreditur. Verum quoniam Prædicamenti nomen, & de rebus, & de conceptibus, & de Vocibus intelligitur (nam Prædicamentum, & res ipſa, & conceptus de re, & ipſa vox dicitur) vocis prius diuiſionem tradit. Quòd ſi de Vocibus hoc loco diſputat, & Vocibus non ſignificatione carentibus, paulopoſt autem
» de rebus, cum ait: Entium alia de ſubiecto dicuntur: de conceptibus quoq; qui in medio ſunt, ſermonem haberi, perſpectum eſt. Quare vel ex ipſis autoris dictis perſpicua eſt libri intentio. Diuidit autem voces in ſimplices atq; compoſitas. Simplices eas dicit, quæ rem ſimplicem declarant, vel ſubſtantiam, vel actionem, vel paſſionem. Compoſitas, quę compoſitum quidquam ſubſtantiæ, vel actioni, vel paſſioni ſignificant, vt Socrates currit: hoc enim compoſitum eſt: & Socrates, vel bos: hæc enim ſimplicia. Porrò non ſimplex vox omnis rem ſimplicem notat, nec cõpoſita duplicem. Compoſita vox eſt Areopagus, id eſt Martiuſuicus, & Coruipetra, & Neapolis, hoc eſt Nouaciuitas, ſed quod ab ijs ſignificatur eſt ſimplex. Vox autem ſimplex, vt curro, curris, omniáqua primæ ac ſecũdæ perſonæ verba, & quæ tertiæ de certa perſona feruntur, vt tonat, fulgurat, pluit: Iuppiter videlicet: nam hæc omnia pronunciatione ſimplicia, ſignificato compoſita ſunt: ſignificant enim ſubſtantiam quandã actioni cõplexam. Enimuero aiunt in tertijs perſonis nõ admodũ apparere ſubſtantiam, ob verbi incertitudinem: proinde ea ſola accepimus quæ præfinitã certámq; perſonã indicarent. Verum tametſi nõ definitam ſubſtantiam tertiæ perſonæ verborũ deſignent, ſignificant tamen prorſus aliquã agentem vel patiẽtem ſubſtãtiam. Quapropter indicatiuorũ tertiæ verborũ perſonæ voce omnino ſimplices ſunt, ſignificatu cõpoſitæ. nam ſiquis dicat currit vel vincit, nimirũ de aliquo prędicat id quod eſt vincere aut currere. Prorſus ergo & in tertijs perſonis, quãuis indefinitè, ſubſtãtia dilucet. Ariſtoteles tamen eiuſmodi perſonas aſſumpſit veluti ſimplices, quoniam non diſtinctè in ijs apparet ſubſtantia. Propriè autem ſimplicia fuerint verba, quæ vel actionem ſolam vel paſſionem declarant, citra id quod agit aut patitur, vt verberare, verberari.

Ergo nec vocum compoſitione aut ſimplicitate res ſimplices aut cõpoſitas oportet, ſed ex ipſis ſignificatis æſtimemus. Quin & voces ipſæ tametſi compoſitæ ſunt, ſi rem ſimplicem oſtendant, ſimplices appellandæ: nõ ſecus & ſimplices, compoſitæ ſi compoſitam declarent. Si enim de ſolis ageremus vocibus, ac ſyllabarum quantitate, compoſitionem iuxta quantitatẽ iure definiremus quomodo & grammatici faciunt: at ſi ceu de ſignificãtibus diſſerimus, opus eſt voces ſecũdum ſignificatum iudicare.* Eques enim nõ ſimplex quidquam deſignat (equum enim ſignificat, inſidentémq; hominẽ, atq; equitãdi artem) non ſimplex ergo vox appellanda, ſed cõpoſita: Vti Neapolis quoq;, quoniã vnum ſignificat, non compoſita ſed ſimplex vox eſt dicenda. ¶ Porrò verbum *dicuntur*, in rebus, & cõceptibus, & vocibus quadrat. Nam & res dici perhibentur, ſed vt ſignificatæ: & conceptus dici, ſed vt enunciati: voces quoq; dici aiunt, ſed vt prolatas. Quam igitur ob cauſam per complexionem dicta præponit cõplexione carẽtibus? Dicimus propterea quòd amat humana natura ab imperfectioribus atq; cõpoſitis ad ſimpliciora perfectioráq; progredi: nã compoſita familiaria nobis notioráq; ſunt. Sic & puer orationẽ nectere, ac dicere Socrates ambulat nouit: cæterum reſoluere eam in nomẽ & verbum, atq; hæc in ſyllabas, tum illas in elementa, nõ etiam nouit. Sic nos quoq; ambulantem intuentes hominem, prius totum hoc, hominem ambulantem cognouimus, ipſum deinde in ſubſtãtiam atq; actionem reſoluimus. Quomodo ergo incipere à ſimplicioribus oportere, ſuperius pronũciabamus, quaſi futurum non ſit, vt ſimplicibus non præcognitis cognoſcantur compoſita: proinde opus eſſe vt ſimplicium vocum præceptio, doctrinam antecedat ſyllogiſmorũ? Dicimus, in quibus æque, ſimplicia cõpoſitáq; ignorantur in ijs incipere à ſimplicioribus oportere. Illic autem ſyllogiſmus ſimiliter ac ſimplices ignorabantur voces: hîc ea notiora quæ compoſitiora ſunt: idcirco ſumendum à ſimplicioribus docendi initium. Quamobrem illic propter docendi modum, à ſimplicioribus, hîc à compoſitioribus, ob modũ cognitionis exordiendum eſſe dicebamus. Eſt & alia cauſa cur hîc antepoſita ſimplicibus compoſita ſint. Quoniam enim futurum eſt, vt complexione carentia diuidat, hæc ob id poſterius commemorauit, vt de ipſis protinus doceat. Eſt autem tum hæc diuiſurus cum dicet: Eorum quæ citra complexionem dicuntur. Porrò ſtatuit in his de induſtria duo nomina duóque deinceps verba, nequis poſt error ſequatur.

*ἰσωνύμως illa omnia ſignificat græcis, eques pro equo apud Vergilium ſemel reperitur.

DE IIS QVAE SVNT.

EOrum quæ ſunt, alia de ſubiecto aliquo dicuntur, in ſubiecto verò nullo ſunt, vt homo de ſubiecto quidẽ dicitur quodam homine, in ſubiecto verò nullo eſt. Alia autem in ſubiecto quidem ſunt, de ſubiecto autẽ nullo dicũtur. In ſubiecto verò eſſe dico, quod cũ in aliquo ſit nõ ſicut quædã pars, impoſſibile eſt eſſe ſine eo in quo eſt. vt quædã grãmatica in ſubiecto quidẽ eſt in anima, de ſubiecto verò nullo dicitur. & hoc albũ in ſubiecto quidem eſt corpore (omnis enim color in corpore eſt) de ſubiecto autẽ nullo dicitur. Alia vero de ſubiecto dicũtur, & in ſubiecto ſunt. vt ſcientia in ſubiecto quidem eſt in anima, de ſubiecto verò dicitur, vt de grãmatica. Alia vero neq; in ſubiecto ſunt, neq; de ſubiecto aliquo dicuntur. vt quidã homo, & quidam equus. Nihil enim taliũ, neq; in ſubiecto eſt, neq; de ſubiecto aliquo dicitur. Simpliciter aũt quæ ſunt indiuidua, & vnũ numero, de ſubiecto nullo dicũtur. in ſubiecto autẽ nihil aliqua prohibet eſſe, quædam enim grãmatica in ſubiecto eſt, at de ſubiecto nullo dicitur.

5

Eorum quæ ſunt, alia de ſubiecto aliquo dicuntur, in ſubiecto autem nullo ſunt, vt homo de ſubiecto quidem dicitur aliquo homine, in ſubiecto autem eſt nullo.

Diuiſionem rerũ in decem nobis traditurus, harum prius diuiſionem in quatuor expo nit: tradita enim in duo prius vocum partitione, iure ad quaternariam hanc ſectionem

pergit.Nam numerus duo in ſeipſum multiplicatus quatuor facit.poſt hanc vero,eã quæ in decem fit diſtributionem docebit. Ab vnitate enim incipiens numerus, ſi ad quatuor vſq; cõponatur,decem conficit,vnum,duo,tria,quatuor,& decem fiunt. Aliter quoque. Complexam hic rerũ diuiſionem facit,copulat enim vniuerſale ſubſtantiæ atq; accidẽti, ſimiliter ijſdem & particulare:illic articulatim ac ſimpliciſſimam hanc facit ſectionem, nullum vlli coniungens;verum quodlibet vti naturã obtinet docens,peculiariter de ſubſtãtia,peculiariter nec cõmuniter de ijs quæ vnicuiq; accidunt. Cũ igitur pro intentionibus diuerſis fiat entiũ diuiſio, meritò & diuiſionis ſegmenta diuerſa extitere. Eſt ergo id genus propoſita diuiſio entium. Entiũ inquit nonnulla ſubſtantia ſunt, nonnulla accidentia. Rurſus ſunt quædã entium vniuerſalia, quædam particularia. Cũ quatuor hæc itaq; ſint entium ſegmenta, bináq; cõprehendantur, ſex coniugationes ex horũ fiũt complexu: duæ incõſiſtentes,quę iungunt contraria, conſiſtentes quatuor reliquæ. Nã entia partim vniuerſales ſubſtãtiæ, partim vniuerſalia ſunt accidẽtia: & quædam particulares ſubſtantiæ, particularia quædam accidentia ſunt, prout habet ſubiectæ figuræ deſcriptio.



Verũ ſi vocibus ijs quibus nos,vſus fuiſſet Ariſtoteles, atq; vniuerſalem ſubſtantiam,vniuerſale accidẽs,particularem ſubſtantiam,particulare accidens nominaſſet,vtiq; nobis non faceſſeretur negocium:nam perſpicuum id eſſet quod traditur: at is ob quam diximus cauſam obſcuritati ſtudens,alia vſurpauit nomina,eorũ quæ ſignificantur naturæ accõmodatiora quidẽ, cæterum à multitudinis vſu remota,ac proinde obſcuriora. Accidens igitur, in ſubiecto vocat:ſubſtantiam,non in ſubiecto:vniuerſale,de ſubiecto:particulare, non de ſubiecto. Conſtátq; quãobrem accidens in ſubiecto nominet: id enim per ſe ſubſiſtere non valet: ſed aliud,hoc eſt ſubſtantiam, vt exiſtat requirit. Subſtãtiam autẽ, non in ſubiecto appellat:neq; enim alio eget vt ſit. Vniuerſale,de ſubiecto:quoniam particularia non ad ſubſiſtentiam poſtulat,verum ad prædicationem:nam niſi ſint particularia, vniuerſale de quo prædicetur non habet. Particulare,non de ſubiecto:quandoquidem particularia de nullo alio predicantur. Quamobrem vero non ſubiectum,ſed non in ſubiecto vocauit ſubſtantiam,ſi ad ſubſiſtentiam ſubiacet accidentibus? Ad hoc itaq; dicemus primum, ſubſtantiam non omnem ſubiectum eſſe:nam diuina ſubſtãtia ſubiectum nequaquam eſt, cum in ipſa nihil accidat:ergo ſubiectum non vocabitur. Quapropter ſi ſubſtantiam communiter vocaſſet ſubiectum,diuinã ſubſtantiam nõ ſimul cõprehendiſſet. Secundo,hæc potiſſima ratio eſt,quoniã cum in oppoſita diuiſiones fiant,quędam vitabiles ſunt,quędam ineuitabiles. Sunt vitabiles,quæ in contraria:ineuitabiles, quæ per cõtradictionem fiunt. Cum enim alia medio prædita contraria ſint, alia careant: diuiſionem quæ in cõtraria fit ineuitabilem non eſſe in medio præditis neceſſe eſt. Sunt porrò contraria medio predita, vt album & nigrũ, ſanitas & morbus: ſunt enim inter albũ ac nigrũ, colores fuſcus, ruber, ac cæteri omnes: inter ſanitatẽ & morbum, quod medici neutrũ appellant. Conualeſcentias enim ex morbo, neq; ſanitates eſſe aiunt, cũ ſanorũ actionibus nõ perfungãtur qui cõualeſcũt: neq; morbos, ſiquidẽ à cauſa ęgrifica liberati ſunt ij, qui ſanitati reſtituũtur: ergo inter ſanitatẽ & morbum mediũ quoddã eſt conualeſcentia. Medio carent par & impar, ſi hæc planè vt cõtraria ſunt oppoſita: nã nos alibi oſtẽdimus non eſſe cõtraria. Rurſus rationale & brutũ oppoſita ſunt ſine medio, cũ contraria nec ipſa ſint. Quare ſunt propriè cõtraria, quæcũq; obtinẽt mediũ. Siquis igitur entia in contraria diuidat, atq; entium alia alba eſſe dicat, alia nigra, colores ab eo medij oẽs relinquãtur neceſſe eſt: neq; vero ſolũ ij,

ſed etiam ſubſtãtiæ quæ colores non admittunt, vt aer,angelus,animà. Verũ nec cæteræ in ſpecies oppoſitorũ diuiſiones ineuitabile habent,ijs dũtaxat exceptis quæ per contradi ctionẽ fiunt:verbi cauſa ſiquis dicat entia tum dextra eſſe,tum ſiniſtra:vel partim dominos,partim ſeruos:alia patres,alia filios:ſunt enim quæ ex ijs nullum exiſtãt.Verũ enimuero nec ſi per priuationẽ & habitum fiat diuiſio:vt ſi quiſquã entium dicat alia cęca eſſe, alia cernentia:& quædã docta,quædam indocta.Habitus enim & priuatio in ſolis capacibus dicitur.Quod autẽ habitũ indipiſci natura aptum non eſt, neq; priuatum eo eſſe perhibetur.Quocirca nõ omnia quæ ſunt,habitus & priuatio diuidit:niſi in quibuſdã,tantũdem quantum cõtradictio valeat, vt ſe habet corpus & incorporeũ: nihil enim inter hæc mediũ eſt:ſiquidẽ incorporeum idem cũ negatione poteſt, quæ eſt nõ corpus. Ergo diuiſio ea dũtaxat quæ per contradictionẽ fit,vt ſiquis inquiat eorũ quæ ſunt alia eſſe alba,alia nõ alba,entia omnia cõprehendit.Nam & fuſcum nõ album, flauũ quoq; & rubrum ſimiliter:ſed & anima nõ alba,& angelus non albus:neq; enim colori ſuſcipiẽdo aptitudinem naturæ obtinẽt.Porrò & Plato viam rationémq; diuidẽdi quę per cõtradictionem efficitur,effert laudibus.ſe enim elabi nihil,inquit,quod ſit,gloriabitur diuiſio. Proinde igitur cum & Ariſtoteles accidẽs in ſubiecto appellauerit,per huius negationẽ indicauit ſubſtãtiam,quam non in ſubiecto nominauit,vt omnẽ ſubſtantiam aſſumeret.Ad hæc duplex eſſe ſubiectũ dicemus,alterum ad ſubſiſtentiã,alterum ad prædicationẽ. Ad ſubſiſtẽtiam quidẽ ſubſtantia:nam hæc accidẽtibus,vt exiſtant,ſubiecta eſt. Particularia vero ad prædicationẽ:vniuerſalibus enim ſubiacent hæc,nõ quò exiſtãt illa, (neq; enim vniuerſalia, vt ſubſiſtant,egent particularibus) ſed vt habeãt de quibus prædicẽtur. Contra verò vniuerſalibus particularia nõ ad prędicationem,ſed ad hoc vt ſint:nõ eſſet enim Socrates & Plato,niſi eſſet homo ſimpliciter. Eorum autem quæ ad prędicationem ſubiacent,alterũ ſubſtantia,alterũ accidens eſt:ſubdita enim eſt particularis ſubſtantia vniuerſali ad prædicationẽ,vt dictum eſt:exempli gratia,Socrates ei qui ſimpliciter homo eſt,& ſimpliciter animal:particulare accidens vniuerſali,vt inhærens huic lapidi albũ, ſimpliciter albo, ac colori:dicimus enim lapidem hunc eſſe albũ,& ſimpliciter album,colorem eſſe.Quoniã igitur vtrũq; eodem modo ſubiectum nũcupatur,ſi entium alia in ſubiecto, alia ſubiecta eſſe dixiſſet,vtiq; eſſet & particularia accidentia complexus,quæ & ipſa ſubiecta ſunt, tametſi non ad ſubſiſtentiam ſed ad prædicationem.Vult autem per hæc verba,nõ in ſubiecto,ſubiectam ſubſtantiam dicere,quæ ipſius eſſe initium ſuppeditat,eámq; ab accidẽtibus è diuerſo diſtinguere. Harum porrò diuiſionum altera eſt à ſubſiſtẽtiæ, altera à prædicationis modo.Illa,Entium,inquit,alia in ſubiecto eſſe,alia non in ſubiecto: hæc dicit, Entium aliqua de ſubiecto, aliqua non de ſubiecto dicuntur. Quædam enim prædicari, quædam ad prædicationem ſubijci ait. Atq; Ariſtotelis diligentiam contẽplare,quomodo in ſubſiſtendi modum ſignificante eſt dixerit,verbum autem dicitur,pro eo quod eſt prædicatur,in ea quæ prædicationis modum indicat,vſurpauerit. *In ſubiecto autem nullo eſt.* Pro non in alio ineſt. Ex quatuor autem coniugationibus vniuerſalem ſubſtantiam veluti dignioręm præponit:ac quoniam particulariũ ſcientes per vniuerſalia reddimur.In particularibus enim à brutis nihil differimus animãtibus:imò eorũ nonnulla acrioribus q̃ nos pręſtãt ſenſibus,quibus particularia apprehendimus. Dein ſecũdam ponit huic obiacentem: particulare id accidens eſt: oppoſitum enim ſubſtantiæ eſt accidens: vniuerſali autem particulare.Poſtea vniuerſale accidẽs particulari ſubſtantiæ prætulit,quoniã de vniuerſalibus eſt ſermo philoſophis. *In ſubiecto autem id dico,quod cum in aliquo non ceu pars inſit, ſine eo in quo eſt eſſe non poteſt.* Quoniã vocibus quibuſdam nobis ex conſuetudine ignotis vſum ſeſe Philoſophus ſenſit:eæ ſunt, de ſubiecto, & non de ſubiecto, in ſubiecto, & non in ſubiecto,vult deinceps nos ipſas docere. Cæterum non omnes exponit, ſed duas duntaxat, quæ ſunt, in ſubiecto, & de ſubiecto:nam ijs cognitis, reliquarum quoque ſignificatio conſtabit. Qui enim quid ſit in ſubiecto eſſe nouit, quid etiam ſit non eſſe in ſubiecto cognouerit. Et qui de ſubiecto dici quid ſit, didicit, is etiam quid non dici de ſubiecto intellexit. Et prius quid eſſe in ſubiecto ſit præcipit, id quod facit finitione: nam finitiones, vt ſæpe commemorauimus, naturam nobis exhibent rerum, vt quæ ex ge-

nere ac conſtitutiuis differentijs conſiſtunt. Cum autem ex genere ac conſtitutiuis differentijs cõfletur finitio, hîc illud in aliquo aſſumit Ariſtoteles, quod generi proportione reſpõdeat: reliqua differentijs. Dicetur enim in aliquo modis vndecim, vel vt pars in toto, vt manus in toto corpore eſſe dicitur, & caput. Vel vt totum in partibus, vt in capite, manibus, aliiſq; partibus eſſe corporis fertur integritas. Porrò totũ non in parte, ſed in partibus dicitur: quãdoquidem nõ in parte vna integritas, ſed in omnibus cõſideratur: igitur vna parte adẽpta, totum minutũ ſolet manecúmq; eſſe, nec poterit totũ vocari. Vel vt ſpecies in genere, vt hominem eſſe in animali dicimus. Vel vt genus in ſpecie, vt in homine animal. hîc vero genus in ſpeciebus dicamus neceſſe nõ eſt, vt totũ in partibus dicimus: non eſt enim à partibus exẽpta integritas, ſed ipſum eſſe in ijs obtinet: at genus exẽptam habet eſſentiam, éſtq; in ſpecie qualibet totũ. Vel vt in tempore, veluti cũ ita loquimur, fuerũt ea tẽpeſtate Troiana bella. Aut tãquam in loco, vti dicimus in lyceo, vel in foro. Aut tanquã in vaſe, vt vinũ in dolio, ſiue in modio triticũ. Enimuero locus & vas æquali quodãmodo conuerſione cõmeant: nam locũ vas quod moueri ac tranſferri nequit: vas autem, locũ qui mouetur ac circũfertur, appellabis. Vel vt forma in materia, vt ſtatuæ forma in ære. Aut veluti res ſubditorũ in principe, vt quãdo res ciuium dicimus in principe ſitas. Vel vt in cauſa finali, cũ medicum, verbi gratia, in medicina dicimus, aut militẽ in re militari ſpem collocare. Vel tanquã in ſubiecto, vt accidẽs in ſubſtãtia. Ariſtoteles igitur illud in aliquo, ceu genus accipit prædicatũ de pluribus: quæ dehinc ſequũtur, differẽtiarum loco adijcit, vt ab alijs ipſum diſcernat, de quibus dictũ in aliquo prędicatur. Atq; per verba hæc, quod non ceu pars ineſt, ab eo quod tum vt pars in toto ineſt, tũ vt ſpecies in genere, ipſum diſtinguit. Nam hæc quoq; vti pars quodãmodo eſſe totius ipſius animalis videtur, & animal totũ eſſe quidpiã: idq; Porphyrius in introductionib⁹ affirmat, cum tria ſint hæc inquiẽs, generaliſſima genera, ſpecialiſſimæ ſpecies, & ſubalterna: generaliſſimum, totũ ſolummodo: ſpecialiſſimũ, pars eſt dũtaxat: ſubalternum & totũ & pars, verũ pars alterius: totum, nõ alterius, ſed in alijs. Per id vero quod dixit, ſine eo in quo eſt eſſe nõ poteſt, à cæteris ſeiunxit. Porrò nonnulli finitionem, alij ex eo ꝙ redundet, alij ꝙ deficiat, vitioſam aſſeuerãt. Finitionis enim vitium eſt, ad id quod definitur nequaquã reflecti, ſed vel plura, vel pauciora aſſumere. Qui abũdare eam dicũt, non ſola accidẽtia à finitione aiunt, ſed corpora quoq; cõprehendi. Cum enim (inquiunt) Socrates in loco ac tẽpore ſit, eſt in aliquo, nec vt pars in toto: nõ enim loci pars eſt, aut temporis. Nec fieri poteſt, vt ſit à loco vel tẽpore ſeiunctus. Itaq; ſimilem dicimus collationẽ nõ eſſe. accidens enim ſeparatũ eſſe ab eo in quo eſt nequit, ſed ſimul ac ſeparatũ eſt, etiam interijt: at corpora quãuis ab omni loco ſemota nõ ſint, ab hoc tamẽ ſi diſiũcta ſint loco, ſunt nihilo minus. Nam corpus qua ratione corpus eſt, loco vel tẽpore quo ipſum ſubſiſtat, nõ indiget, habet tamẽ hæc cõſequentia: quẽadmodũ is qui in luce ambulat vmbrã habet cõſectantem, qua nihil ad ſubſtãtiam iuuatur: at accidẽti ad ipſam ſubſiſtentiã conferũt corpora: quãdo ſine ijs haudquaquã cõſiſteret. Præterea nec corpus omne eſſe in loco, eſt neceſſe. Sphærã enim minimè vagãtem Ariſtoteles in loco nõ eſſe demõſtrat, ſi locus terminus eſt ambiẽtis, quatenus id ambit, quod cõtinetur: vt ſeria locus eſt vini, quod capit, non ſe ipſa quidẽ tota, ſed interiore ſuperficie, qui eius eſt terminus: nimirũ ſi foris excindatur, vinũ nihilominus cõtinet, quaſi ſola interiore ſuperficie ſit locus. Ergo ſi id vt diximus locus eſt, & Ariſtoteles extra ſphærã immobilẽ nihil eſſe demõſtrat, vt eius quoq; fine claudatur, nõ locus, non tẽpus, nõ corpus, non vacuũ, neq; aliud quidpiam, nõ eſt ſphæra immobilis in loco. Quare corpus omne eſſe in loco nõ eſt neceſſe: verũ ſectamẽ magis corporũ vti diximus eſt locus & tẽpus. Porrò & illud in quæſtionẽ vocant, quomodo & quod velut totũ in partibus eſt, finitio nõ cõprehendat. Nam & in aliquo eſt, in partibus enim: neq; vt pars ineſt: ipſúmq; eſſe abſq; eo in quo eſt haudquaquam poteſt. Dicimus itaq; deſcriptionẽ quãuis in cęteris cõmunicet, hac tamẽ in parte, quę eſt in aliquo, differre. Totũ enim in partẽ eſſe nõ dicitur: quippe nõ in parte totũ, ſed in quibuſdã magis: nã in partibus perhibetur. Sic Porphyrius quoq; totũ autẽ dicebat nõ alterius, ſed in alijs: totũ enim in partibus. Quòd ſi inter eius ſignificata quod in aliquo dicitur, id etiam aſſumebamus

quod velut totum in partibus eſt,non quoad tamen eſt in vno, ſed ſola ea ſignificatione, q̃ per ſe non ſubſiſtat, idipſum quoq; in aliquo eſſe dicebamus. Illam quoque præter eas quas recẽſuimus difficultates in medium afferunt,nempè id etiam quod velut forma eſt in materia,à finitione comprehendi. Formam enim,aiunt,in aliquo eſſe,in materia:neq; vt eius partem ineſſe:fieriq; non poſſe vt ipſa ſine materia exiſtat. Itaq; formam etſi materiæ nõ ſit,tamen compoſiti partem eſſe affirmamus:ſic ergo & manũ nõ corporis totius, ſed omnis partem eſſe arbitramur. Deinde vero formã aſſerimus cuiuſq; eſſe rei ſubſtantiæ cõpletiuam : ſublatáq; forma ſubiectum tolli:at accidẽs neq; ſubſtantiam cõplet ſubiecti,neq; corrupto eo ſubiectum interijt. Aliter quoq;. Propoſitum eſſe hoc loco Ariſtoteli dicimus explicare de entibus,nõ qua ratione ſunt entia,ſed qua ſignificãtur ab hominum multitudine,neq; eſſe de ijs ex propria ipſius ſententia diſſertũ. Id verum eſſe oſtendit planè in ſermone de ſubſtantia,primam ſubſtantiã eam eſſe inquiẽs,quæ ſpectatur in indiuiduis:ſecũdam,quæ in ſpeciebus generibúſq;:cum res cõtrà ſeſe habeant. Nam prima eſt ea,quã in ſpeciebus ac generibus cõtemplamur,vt quæ indiuiduis cauſa eſt, atque incorporea,ſempérq; ſecũdum eadem atq; eodẽ pacto ſe habet:quæ autem in indiuiduis cernitur,ſecũda eſt,veluti vt ita dixerim cauſata. Verum quoniã huius notitiam obtinet hominũ multitudo, idcirco ex eorum opinione præceptionẽ faciens, primam ipſam appellauit. Quandoquidẽ igitur formæ notio ac materiæ,vulgò nequaquã conſtat, ſed ſolũ ex ijs cõpoſitum,ídq; vt vnum, ea propter quãuis dicti in aliquo ſignificata enumeraſſet Ariſtoteles,nõ eius tamen quod ceu forma in materia eſt meminit:quaſi non de entibus qua ratione entia ſunt,ſed vt de ijs vulgo placet,ſermo habeatur. Sicut enim punctũ definiens geometra,id ipſum eſſe ait,cuius pars nulla eſt:nec punctum ſolũ hæc finitio,ſed & vnitatẽ,& ipſum núc cõprehendit(partibus enim nullis horũ quodlibet cõſtat)nec quiſquam culpauerit geometrã,vt pote finiẽdo puncto hęc quoq; amplectentẽ:prorſus enim dicet,quãquam vnitas ac ipſum núc partibus non diſtinguũtur,nulla tamẽ ſubiecta mihi res eſt præter pũctum quæ partibus careat. Sic Ariſtoteles quoq; quod ad inſtitutæ ei doctrinæ intentionẽ attinet,eſſe in aliquo,id quod eſt vt forma in materia nõ nouit:ſiquidẽ huius notionem nõ habet bona pars hominũ. Vult autẽ,vti diximus,non de entibus qua entia ſunt verba facere, ſed quatenus ab id genus vocibus ſecundum vulgi placita ſignificantur. Atq; hæc aduerſus eos,qui finitionẽ iuſto ampliorem eſſe cõtendunt. Qui autem defectionẽ in ea accuſari ũt,nõ accidẽtia aiunt omnia,ſed inſeparabilia duntaxat comprehenſa. Dixit enim,inquiunt, abſq; eo in quo eſt eſſe non poſſe:at ſeparabilia,non poſſibile ſolum,ſed neceſſariũ quoq; eſt,ſeparari. Quid igitur reſpondemus? nimirũ probè à vobis dictum,ſi ſeparari nequaquã poſſe pronũciaſſet: nũc verò dicit, ſine eo in quo eſt,eſſe non poſſe,pro ſubſiſtere atq; cõſtare:ſeparabilia autem vt ſubſiſtant, nequit ſine ſubiecta eis ſubſtantia fieri. Hærẽt item nonnulli,atq; aiunt,quomodo eſſe abſq; eo in quo eſt, nõ poſſe accidens dixerit. Nam ecce odor eſt accidens,ſeiunctúſque à ſubiecto etiam eſt:ſæpenumero enim cũ malum longè à nobis abſit,huius ad nos ſuaueolentia peruenit: quare poteſt odor mali,cum ipſius accidens ſit,abſq; mali eſſe ſubſtantia. Nec ſecus in id genus vniuerſis. Hoc itaque duplici ratione ſoluimus : Primum, quòd non in quo erat,ſed in quo eſt Ariſtoteles dixit. Non poteſt igitur odor mali abſque eo loco in quo eſt eſſe: ſiquidem aut in malo eſt,aut in aere. Deinde quòd mali fragrantia non ſola,ſed cum tenui quadam ipſius mali ſubſtantia ad nos redundat. Id compertum ex illo eſt,q̃ ſæpe fœtidũ locum tranſeuntes ſudario circumſeptis naribus, aerem quidem reſpiramus (fieri enim nequit,vt hunc non reſpiremus) odoris vero fœditatẽ non percipimus: quòd ſubſtantia illa quæ defluxit,ſi aeri conferatur, craſſioribus partibus cõſiſtat, nec ſubire meatus ſudarij poſſit:aer vero ob tenues ſui partes ingreditur. Quòd ſi,progreſſu temporis,quanuis ſudarium impoſitum ſit,odoris tamen grauitas ſentitur, nihil eſt mirũ: nam forte & ex ſudarij poſitu id prouenit cum à loco dimoueatur , atque aditum craſſiori ſubſtantiæ præbeat,quando nimio motu concitata tenuatur magis, penetrátque. Nimirum admodum ventilata partes quoq; tenuiores adipiſcitur. Enimuero emanare cum quadam ſubſtantia odorem,argumento id maximo eſt,q̃ pomum temporis longiore ſpacio rugoſius reddi-

tur,perinde quaſi eius ſubſtantia in qua odoris gratia ſuberat, per halitum digeratur. Declarant id quoque exhalantes ex incenſis vapores, qui inde ob ſubiectæ ſubſtantiæ craſſitudinem ſub ſenſum cadunt. Quo etiam fit, vt aërem manibus ſæpius mouentes ad nares pellamus,vtiq; cum ex ſuffitu æditus vapor craſſioribus partibus conſtat,nec ad ſenſorium facile peruenit.Id quod facto opus nõ erat, ſi qualitates ex ijs quæ adolentur,in aërem citra corpus prodirent.Illud ſcitu dignum eſt, Platonem affirmare pomi fragrantiã ad nos cum quibuſdam defluuijs euadere, minime à ſubiecto diſiunctam : Ariſtotelem cauſam ad aërem referre,vt qui obſequio facilis ſit,atq; odores tranſmittat : ſiquidẽ qua ratione viſui ac ſono,eadẽ quoq; eſt odori peruius:nam odoris ſuauitatem accipiens,nobis impertit:Plotinum vero mutari partem aëris in odorabilem qualitatem arbitrari: nã manens in pomo ſuaueolentia partem inquit quam ſentimus aëris immutat,ac ſimilem aliam ſibiipſi qualitatem gignit:vt in igne etiam caliditas non igne relicto frigido ad nos concedit,ſed manens in igne,aliam ſimilem ſibiipſi in aëre caliditatem creat. Cæterum nulla harum per ſe ipſam vera eſt opinio : neq; Platonis illa,quæ odorem ad nos cum defluxu fatetur progredi.nam defluxus corpus eſt : omnis autem corporis ſecundum naturam eſt motus:nam aut leue eſt,& petet ſuperna:aut graue, & ad inferna declinabit:at odorem mali eque omnes ſentimus,ſupra,infra,antè,ponè,dextra,ſiniſtra.Patétq; ex hoc defluuia duntaxat non ſatis eſſe dicere.Neq; ſola Ariſtotelis eſt vera ſententia:cõmentitium enim eſt,dicere aërem totum qui interiacet odore imbui, vt in vulturibus qui cadauera alijs in vrbibus ſentiunt inhumata.Sed nec verum ſolum Plotini placitum eſt,aëris partẽ qualitate inſici ac mutari.Cœnum namq; altius porci effodiunt,quò maximè defluxionibus potiantur : At tres ſimul veræ ſunt:nam in hebetius olfacientibus euiuſmodi porci ſunt,vſus quoq; expoſcitur defluxionum : in ijs qui exactè odorãt,quod genus vultures habentur,aër ſufficit odoribus permeabilis: in ijs vero qui mediocriter valent olfactu quales nos ſumus,ſatis aëris facit mutatio.Enimuero ſecundum opinionẽ ex ijs nullã qualitates à ſubiecto in ſubiectum demigrãt. Nam aut in inſtãti ſunt eodẽ tum in eo in quo ſunt,tum in eo ex quo emanant,ipſáq; à ſeſe qualitas diuelletur:aut in alio atq; alio: ac quoniam duorum inſtantium omnium tempus eſt medium,citra ſubiectum illo tempore qualitates erunt. Poſſumus & hoc obijcere ijs qui ſubſtantiam ſimul quandam migrare cum pomi qualitate arbitrantur:nempe motum quẽdam vnum,hoc eſt in rectum à ſubſtantia fieri:nam vel ſurſum tendit,vel deorſum, vel antrorſum,vel retrorſum,vel dextrorſum,vel ſiniſtrorſum. Quandoquidem igitur contingit tum à dextris ſtantes,tũ à ſiniſtris,tum à fronte, tum à tergo ſentire odoris iucũditatem, penes motus hos cietur vniuerſos. Afferenda igitur hoc pacto ſolutio eſt. Aër id genus poteſtate eſt cuiuſmodi qualitas mali, quòd qualitatum omnium accipiendarum, vt quarum expers ipſe eſt,naturam obtineat:ergo à mali fragrantia talis actu fit, ac deinceps qualitates omnes nobis excipiendas tranſmittit,vtpote carens ipſe qualitate.Porrò ſiquis dixerit quomodo pendẽtia poma in arbore odorem nobis impertiuntur,nec gracileſcentia diminutionem ſuſtinent?quoniam eſt hic inquam quod influit alítq;,eo quod diffl atur copioſius. eſt enim influxus vberior effluxu. *Alia vero & de ſubiecto dicuntur,& ſunt in ſubiecto.*Cum particulare accidens declarauerit, quod in ſubiecto & non de ſubiecto appellabat,nunc eò vertitur vt vniuerſalis nobis accidentis tradat exemplum,quod de ſubiecto & in ſubiecto nominat. *Alia neq; in ſubiecto ſunt,neque de ſubiecto quopiam dicuntur.* Vbiq; ijs quæ ad vocem pertinent (ea ſunt,de ſubiecto & non de ſubiecto) verbum dicitur aſſignat : eſt autem attribuit ijs quæ ab ente proficiſcuntur,quæ ſunt in ſubiecto & non in ſubiecto.Cæterum traditis accidẽtium particularium atq; vniuerſalium exemplis, nunc particularis exẽplum profert ſubſtantiæ.Non de ſubiecto autem eſt imprædicabile, vtique prædicatione de ſubiecto:non enim ſimpliciter imprædicabile:ſiquidem & particulare prædicatione in ſubiecto prędicari poteſt, vt grammatica quædam de Ariſtarcho. Idq; vel ipſe pergens docebit verbis illis,in ſubiecto autem nihil prohibet eſſe nonnulla.Quòd ſi indiuidua quoq; prædicãtur de ſubiecto,vt homo is qui aduenit, Socrates eſt, prædicatio eſt præter naturam,vt quæ particulare de vniuerſali prædicat:quomodo & ſubſtantia ſi de accidente prædicetur,cũ

dicimus,hoc album eſt Socrates. Prædicantur enim ſecundum naturam vniuerſalia de particularibus,& accidentia de ſubſtantijs:particularia vero de vniuerſalibus,vt in exemplo quod diximus,& ſubſtantiæ de accidentibus,præter naturam,vt album accedens,eſt Socrates. Non de ſubiecto igitur eſt imprædicabile prædicatione de ſubiecto,ea ſecundū naturam ſeſe habente. *Simpliciter autem individua & vnum numero de nullo ſubiecto dicuntur,in ſubiecto autem nihil prohibet eſſe nonnulla. etenim grammatica quædam è numero eorum eſt,quæ ſunt in ſubiecto, & de nullo ſubiecto dicitur.* Quoniam proximè particularium meminit ſubſtātiarum,vt quæ non de ſubiecto dicuntur,inquiens,alia vero neq; in ſubiecto ſunt,neq; de quoq̄ dicuntur ſubiecto,vt aliquis homo,vel aliquis equus: minime vero ſolæ particulares ſubſtantiæ non de ſubiecto dicuntur,ſed particularia quoq; accidentia,ob id vniuerſalem hoc loco ſermonem conficit aitq;, Simpliciter autē,hoc eſt, vniuerſali vero quodam ſermone individua omnia,quæ & vnum numero ſunt, ſiue ſubſtantiæ ſiue accidentia exiſtant,de nullo dicuntur ſubiecto. Verbum autem ſimpliciter tribus dicitur modis:vel vniuerſaliter,velut cū ita loquimur,ſimpliciter omnis homo,pro in vniuerſum: vel vnicè,vt ſimplex veritatis eſt ſermo,id eſt non varius:vel propriè,vt cum ſimpliciter virtus dicimus, p eo quod eſt propriè virtus. Tribus modis quoq; appellatur vnum,atq; in ſumma identitas ac diuerſitas. Dicimus enim vel genere vnum,vt hominē & equum:vel ſpecie vnū, vt Socratē ac Platonem:vel numero,vt Platonem, vnum enim quiddam Plato eſt numero. Sed diuerſa quoq; ſimiliter vel genere nuncupamus,vt equum & plantam:vel ſpecie,vt equum & hominem:vel numero,vt Platonem Socratémque. Numero igitur vnū hoc loco accepit. Cæterum ſciendum eſt,quæ ſunt numero diuerſa,ea poſſe vnum ſpecie eſſe ac genere,vt Socrates & Plato:quæ autē diuerſa ſpecie ſūt, prorſus quidē & numero diuerſa,genere autē nō prorſus, ſed eadē quādoq; eſſe,vt equus & homo: at quæ differūt genere omnino & ſpecie & numero diſerepabunt,vt equus ficúſq;, vel homo & albū. *In ſubiecto autem nihil prohibet eſſe nonnulla.* Poſtq̄ vniuerſalē ſermonē confecit,cū dixit nullū ex indiuiduis quę & vnū numero ſunt,de ſubiecto eſſe,nō ſolæ autem particulares ſubſtantiæ,ſed particularia quoq; accidentia ſunt indiuidua,veluti quædam,vt ipſe inquit,grammatica,hoc ſubiunxit,in ſubiecto autē eſſe nihil prohibet,id eſt accidens. Atq; vt ſemel dicam,quæ vnum ſunt numero, de nullo ſubiecto dicuntur,ſunt autem in ſubiecto.

DE PRÆDICANDI RATIONE.

QVando alterum de altero prædicatur vt de ſubiecto,quæcunq; de eo quod prædicatur dicuntur,omnia etiam de ſubiecto dicētur. Vt homo de homine quodam prædicatur, animal vero de homine:ergo & de quodam homine animal prædicabitur. quidam enim homo & homo eſt, & animal. 4

Quando alterum de altero prædicatur vt de ſubiecto, quæcunq; dicuntur de prædicato,de ſubiecto quoque omnia dicentur.

Abſoluta de eo diſputatione quod eſt in ſubiecto eſſe,nunc ad docendum de ſubiecto ingreditur:ac modo quodam hoc inquit,aliud eſſe prędicari de aliquo,aliud vt de ſubiecto prædicari. Huic quod prędicatur vt de ſubiecto,id conſequens eſt,quæcunq; de prædicato dicuntur,ea quoque de huic ſubiecto nuncupari: vt prædicatur de Socrate,vt de ſubiecto,ſimpliciter homo:animal autem de homine ſimpliciter: hoc ergo & de Socrate prædicabitur. Nam ſimpliciter homo,per medium ſe ipſum,animalis prædicationem traducit ad Socratem. Sed quid ſibi volunt hæc verba,vt de ſubiecto? nempe eſſentialiter,atque re ipſa. Si quid enim de prædicato per accidens dicitur,non id quoque de ſubiecto dici eſt neceſſe. Verbi gratia prædicatur re ipſa homo de Agamemnone,atque vt de ſubiecto,de homine animal eſſentialiter,per accidens vero diſyllabum:idcirco de Agamēnone prædicatur animal,diſyllabum non prædicatur. Rurſus animatum ac ſentiens de animali vt de ſubiecto atq; vt de re dicitur,per accidens vero & in reſpectu,genus,vel triſyllabum. Perinde quoq; ſe habet res in accidētibus. Prædicatur enim exempli cauſa,

de tribus vti de re numerus,de numero vt de re quantum, per accidens vero triſyllabũ: ob id prædicatur numerus de tribus, triſyllabum non item. Vt ea igitur quæ eſſentialiter & vt de rebus prædicantur indicaret,vt de ſubiecto dixit. Triſyllabum enim de animali non vt de ſubiecto prædicatur, verum vt de voce ac ſyllabarum quantitate:& genus de reſpectu. Quæ igitur,inquit,dicuntur de altero vt de ſubiecto,hoc eſt vt de re ſubſiſtente,quæcunq; de prædicato dicuntur(eſt autem hîc quoque vt de ſubiecto ſubaudiendũ,) omnia & de ſubiecto dicentur.Prædicamenta latitudinem profunditatémque obtinent. Profunditatem inquam,progreſſum eorum in particularia.Latitudinem,diſceſſum in latera.Verbi cauſa vt ſic profunditatem capias,ſubſtantiam,corpus,animatum,animal,atque ita deinceps:latitudinem,cùm ſubſtantiam in corpus & incorporeum ſecueris.Regulam igitur nobis Ariſtoteles tũ latitudinis,tum profunditatis depromit. Nunc profunditatis,dehinc latitudinis. eſt porrò hæc regula: Quando primum de ſecundo de ſubiecto prædicatur,& ſecundum de tertio de ſubiecto, tunc primum quoq; de tertio de ſubiecto prædicabitur. Prædicatur exempli gratia animatum de animali,animal de homine:animatum quoq; de animali prædicabitur.Quod autem de ſubiecto dixit,regulæ rectè adiectum eſt.Nã ſi vera eſſe debet,vtraq; de ſubiecto ſit oportet propoſitio.Siue enim in ſubiecto ſint ambæ,nihil veri concluditur:ſiue vna de ſubiecto,reliqua in ſubiecto,ſítq; hęc vel prima vel ſecunda,nec ita quoque veri quicquam colligitur.Ambę igitur in ſubiecto ſumantur,vt Socrates albus,album diſyllabum(accidit enim albo diſyllabum)ſi concluſum ita ſit,mẽdacium eſt id quod conficis:nam Socrates nõ eſt diſyllabum. Rurſus primam in ſubiecto cape:alterã de ſubiecto:vt homo,album: album,color:falſum colliges, neq; enim homo eſt color.Sumatur iterum prima de ſubiecto, ſecũda in ſubiecto:vt homo,animal:animal, triſyllabum:neq; hoc modo veri quicquã concluditur. Habemúſq; per hoc regulæ vicem conuerſam,quomodo ſub decem prædicamenta quæcunque ſunt omnia,queant referri.Vt enim regula primum ſecundo,& ſecundum tertio ineſſe monſtrabat,ſic contra ſub prima redigi poſteriora ac ſecunda oſtendere eadem poteſt. Vt homo ſub animal cõfertur,animal ſub animatum,animatum ſub corpus,corpus ſub ipſam ſubſtantiam:& homo ad ſubſtantiam reuocabitur. In prædicamentis quoq; alijs eodem pacto. Sunt verò qui temerè dici affirmant, ex quatuor propoſitis,vniuerſali,& particulari,ſubſtantia,& accidẽte,duo ſola ab Ariſtotele deſcribi, eáq; deteriora,accidens,& particulare:cum hic & quid ſit de ſubiecto definiat,vniuerſale inquam,cum ait,ſi competit primum ſecundo,& ſecundum tertio, tertio quoq; primum competere. Sed & quod nõ in ſubiecto,ſubſtantiam inquam, cum propria ſubſtantiæ enumerat : nam deſcriptiones ex proprijs deſumuntur. Atque ad hæc dubia reſpõdemus,regulam eſſe quæ recitata eſt, non finitionem aut deſcriptionem. Quippe in nullam deſcriptionem finitionémve definitum vel finitionis nomen accerſiri. Nemo enim homo inquit eſt homo animal rationale mortale,&c. Neq; animal eſt animal ſubſtãtia animata ſenſu valens:nunc verò ſæpe in regula id quod finitur,ipſum inquam de ſubiecto,aſſumptum eſt. Ad alteram difficultatem dicimus,ex proprijs quæ nominat ſubſtantiæ,nullum eiuſdem deſcriptionem eſſe.Nam quæcunq; ipſius recenſet propria,aut ſoli ſubſtantiæ ſuppetunt,ſed non omni, aut omni, non ſoli tamen : at deſcriptio & verè propria ſoli & omni ac ſemper cõpetere volunt.Cæterum cũ ſit duplex prædicatio,altera de ſubiecto,altera in ſubiecto,(de ſubiecto quidem dicimus, cum de particularibus prædicantur vniuerſalia:in ſubiecto autem, cũ accidens de ſubſtantia proditur)prædicatio in ſubiecto,quæ aliud alij ineſſe dicit,nullam exhibet quæſtionem. Quæ verò de ſubiecto eſt,cum eſſe alterum oſtẽdere alterum velit,hoc eſt prædicatum id quod ſubiectum eſt, quæſtionem præbet. dixerit enim quiſpiam quale prædicatum eſt animal de homine? num ipſum id quod homini concretum eſt,ac vniuerſale?ſi concretum,idem de ſeipſo prædicabitur, erítq; nugamentum prædicatio:ſin vniuerſale,particulare vniuerſali adæquabitur:ídq; erit particulare quod vniuerſale eſt. Dicemus itaque prædicatum de ſubiecto & communius eſſe,& ipſius proprium velle.Cum enim ita loquimur,homo eſt animal,nil ſanè aliud dicimus, quàm animalis formam,qua vniuerſa ſunt inſignita animantia,homini quoque ineſſe. Vt enim Præco-

nis vox quæ auditur & omnium cõmunis, & cuiuſq; propria eſt: vt centrum & communis omnium rectarum linearum, quæ ab eo deducuntur eſt terminus, & cuiuſlibet proprius: vt materia deniq; & publicè vniuerſis ſubſtrata eſt, & priuatim ſingulis: ſic prædicatum quoque & commune eſſe vult, & peculiare ſubiecti. Ergo qua ratione commune eſt, non eſt prædicatio nugamentum: quoad vero proprium, particulare haud vniuerſali adæquabitur.

DE GENERIBVS DIVERSIS.

DIuerſorum generum, & non ſubalternatim poſitorum, diuerſæ ſunt ſpecie & differẽtiæ: vt animalis, & ſcientiæ. Animalis enim differentiæ ſunt, greſſibile, bipes, & volatile, & aquatile: ſcientiæ vero, nulla earũ eſt. Neq; enim ſcientia à ſcientia differt in eo quod bipes eſt. Subalternorum vero generũ nihil prohibet eaſdẽ eſſe differentias. Superiora enim de ijs quæ ſub ipſis ſunt generibus prædicãtur. Quare quotcunque differentiæ prædicati fuerint, totidem & ſubiecti erunt. 7

Diuerſorum generum nec ſubalternatim poſitorum diuerſæ ſpecie & differentiæ.

Sumptiunculas quaſdam accipit ad propoſitam inſtitutionem commodum ipſi allaturas. Quoniam enim prædicamenta & generaliſſima genera ſunt & in vnoquoque ſeries quædam ſubalternorũ edita eſt generum, regulam hîc nobis tradit Philoſophus, qua genera prorſus diuerſa à ſubalternis diſcernamus: aitq; diuerſorum generum nec ſubalternatim poſitorum differentiæ quoque planè diuerſæ tum conſtitutiuæ tũ diuiſiuæ, vt animalis ac ſcientiæ. Sunt enim conſtitutiuæ animalis differentiæ animatum & ſentiens: diuiſiuæ, rationale & brutum, mortale & immortale. Scientiæ vero, conſtitutiuæ, exempli gratia, rationum certitudo ac firmitas, aut ſcientiæ ſubiectas res ſecundũ eadem atq; eodem pacto perpetuo ſe habere: diuiſiuæ, contemplatiuum & actiuum. Sunt ergo differentiæ diuerſæ ſi diuerſa ſint genera. Aliter vero diuiſit Plato in Gorgia, nempe alias tãtum ſermocinales eſſe ſcientias, qualis eſt Dialectica: alias actiuas duntaxat, vt graphice: nonnullas mixtas, quæ ſimul ſermocinales actiuæq; ſunt, ſdq; tribus modis. Aut enim tantũdem verborum actionisq; habẽt, vt citharœdia: ſimul enim & canit & citharа perſonat. Differt autem à citharistice: nam hæc pulſat citharam & canit: citharistice pulſat tantũmodo: vt ars iaciendi talos, hoc eſt peritus aleator, declarat ante iactum quibus egeat, & anteq̃ tali mutentur, paciſcitur de lucro, quod ex iactu proueniet. Mixtæ ergo aut actionẽ cum ſermone æqualiter obtinent: aut ſermonis plus quàm actionis, vt hiſtrionica, iuxta id quod à quodam dictum eſt: Reddas mihi quę à patre cepiſti meo: illo vero per ſilentiũ renuente dixit, pecuniam non inquam: aut contrà actionis plus, minus ſermonis, vt medicina. Hæc enim ſic dicta eſt, quaſi medicatrix magis ſit quàm ſermocinatrix: nam & ſermone vtitur ad dignoſcendum curandúmq;. Qui enim nouit optimè, is optimè curabit. Quoniam vero pluribus dicuntur modis diuerſa genera: (nam diuerſa cenſentur vel quæ à ſe mutuo planè diſtant, vt ſubſtantia, & quantum: vel quæ ſunt haud prorſus diſiũcta, ex aduerſo tamen inter ſe ab eadem diuiſione diducũtur, vt volucre & aquatile: hæc enim cõmune genus animal obtinent: dicuntur & ſubalterna diuerſa, vt ſubſtãtia & corpus.) ea propter, dixit nec ſubalternatim poſitorum. Fieri enim poteſt, vt eædem horum differentiæ ſint, vt ſimpliciter animalis & rationalis animalis. Nam eædem ſunt vtriuſq; tum conſtitutiuæ tum diuiſiuæ. Sunt conſtitutiuæ amborum animatum ac ſentiens: ſed eædem quoq; diuiſiuæ mortale & immortale. At eorum quæ non ſubalternatim collocata ſunt, verum ſunt diuerſa, nec conſtitutiuæ eædẽ ſunt, nec diuiſiuæ, vt in animali ac ſcientia diximus. Subalternorum tamen conſtitutiuæ vti proditum eſt, planè eædem: at diuiſiuæ non omninò, ſed licet quoq; eſſe diuerſas, vt in animali ac brutõ animali: ſunt enim eædem vt monuimus conſtitutiuæ, non eędem diuiſiuæ: Nanq; ſimpliciter animalis ſunt rationale & irrationale, mortale & immortale: bruti, volucre, aquatile, terreſtre. »

Eadem & in ijs ratio congruet generibus,quę inter ſe diſtincta ex oppoſito ſunt.Nam eorum quoq; eædem ſunt conſtitutiuæ,diuiſiuæ diuerſæ.Bruti enim eæ ſunt, quas recitauimus:rationalis,mortale immortale,cœleſte terreſtre. ¶ Decenter autem verbum ſpecie appoſuit,hoc eſt re,quòd ſubſtantiales caperemus differẽtias. Nam generum diuerſorum eædem eſſe differentiæ per proportionem poſſunt. Dicimus enim domus inſtrumenta partim pedib⁹ eſſe ſuffulta,partim expeda Sunt expeda mortarium & eiuſmodi reliqua: pedibus munita,ſella,lectúſq;.Sed & animalium dicimus alia carere pedibus,alia ijſdem inniti.Verũ differentiæ hæ nõ ſunt ſpecificæ,non enim ex eo exprimitur homo q⁹ bipes ſit:ſed neq; ſi voce differentię eędem eſſe videantur,iam ſpecie quoq; ſunt eædem:ſiquidem eiuſdem ſpeciei non ſunt lecti atq; animalis pedes , quoniam nec idem eſt actus:ex proportione autẽ ijdem ſunt , ſiqua modo ſimilitudo intercedat. Nam partes inferiores quæ animalis ac lecti velut firmamenta ſunt, pedes vocantur : vt enim pedes ad animal ſeſe habent,ſic fulcra quoq; ad lectum:Sed nõ præterea & vſus pedũm reliquos preſtant, verbi gratia non ambulant, nec ſecum corpus ſuo tranſferunt motu, nec ſimilia faciũt. Itaq; non ijdem ſpecie ſunt,ſed voce ac proportione.Animalis autem differentiæ vt pedeſtre,& volucre,& bipes,& aquatile. Pluribus modis diuidi generũ differentiæ poſſunt: vt ſubſtantiales differentiæ ſunt animalis,rationale & irrationale.A tempore autem ducuntur vitæ, vt mortale & immortale. Et à loco in quo commorantur,vt volucre,pedeſtre,bipes,aquatile.Et à partibus corporis,vt pedib⁹ ſubnixa & expeda. Sunt porrò & differentiæ aliæ,ex alijs quæ animalibus inſunt depromptæ.Ariſtoteles vero exemplo vſus à loco,ab alia quoq; diuiſione, exemplum differẽtiæ à partibus deſumptæ in medio data opera interſeruit, docere volens nihil in propoſito ſi differẽtias quoq; alias accipias explorandis generibus referre. namq; inter ſe,nec differentia prima,nec ſecũda , neq; vlla abſolutè , genere diuerſa conueniunt. *Subalternorum vero generum nihil eaſdem eſſe prohibet differentias.* Rectè dixit,nihil prohibet.Nam nõ eædem ex neceſſitate differẽtiæ ſubalternorũ ſunt generum,vt aperuimus: ſæpe tamen numero eaſdem eſſe contingit, nam conſtitutiuæ quidem ſunt eædem ſemper,quanquam non ſolæ habeantur:plures enim ſunt inferiorum.Quandoq; vero & diuiſiuæ,vt ſuperius enarrauimus.

DE INCOMPLEXIS.

8 EOrum quæ ſecundum nullam complexionẽ dicũtur vnumquodq; aut ſubſtantiam ſignificat, aut quantum, aut quale,aut ad aliquid, aut vbi, aut quando, aut ſitum eſſe, aut habere, aut agere,aut pati. Eſt autẽ ſubſtantia quidem(vt in ſumma dicam)vt homo:equus. Quantum autem,vt bicubitum: tricubitum. Quale,vt album: grammaticum. Ad aliquid,vt duplum:dimidiũ:maius.Vbi verò,in foro:in Lyceo.Quando autem,vt heri:ſuperiore anno. Situm vero eſſe,vt iacet:ſedet. Habere autem, vt calceatum eſſe: armatum eſſe. Agere verò, vt ſecare: vrere. Pati, vt ſecari : vri.

Eorum quæ ſecũdum complexionẽ nullam dicũtur, ſingula aut ſubſtãtiam ſignificant,aut quãtũ,aut quale.

Tradita vocum bipartita diuiſione in ſimplices atq; complexas , eodem pacto & diuiſionem rerum ſecundum vtrunq; ſegmentum conficere voluit. Ergo cum prius ſectionem vt complexorum in quatuor nobis præbuerit,vniuerſalis videlicet ſubſtãtiæ & particularis, atq; vniuerſalis particulariſq; accidentis , nunc partitionem veluti ſimplicium in decem tradit : priuſq; per res tangq̃ vmbratili pictura ea nobis deſcribit, vt in aliquam nos eorum notitiam deducat,poſtmodum articulatim nos de vnoquoq; docturus.Quãobrem vero eorum quę ſecundum nullam complexionem dixit?quid enim,ſunt ne cõplexiones plures?etiam. nam aut ſimplex vox eſt, ſignificatũ compoſitum, vt curro:aut ſignificatum ſimplex, vox autem compoſita,vt Martiuſuicus,& Coruipetra,vtq; finitiones & definita:aut & ſignificatum & vox compoſita ſunt , velut cum dico Socrates am-

bulat:aut ſimplex vtrunq;,vt prędicamenta.Hîc ergo eorum quę ſecundum nullam cõplexionem dicuntur diuiſionem facit,eorum inquam quæ nec voce nec ſignificato complexa ſunt.Bene autem dixit eorum quę dicuntur,propter coniunctiones,articulos,præpoſitionéſq;,quæ per ſe non dicuntur,nec quicq̃ ſignificant,verũ ſimpliciter voces ſunt, quæ cum alijs pronunciantur,réſq; ita cum illis ſignificant.Atq; hinc rurſus perſpicua eſt libri intentio.Eorum enim inquit, quæ ſecundum nullam complexionem dicuntur ſingula vel ſubſtantiam ſignificant. Itaq; de vocibus res ſignificantibus decernit:ergo & de medijs agi conſtat conceptibus . Cæterum ſciendum eſt, quòd is res oratione delinians, obſcuram nobis prædicamẽtorum exhibet imaginem. Nam rudior eorum præceptio in nudis duntaxat exemplis ſita eſt: ſubtilior vero tum propria cuiuſq; enumerat,tum diuiſionem affert:vt & quæ inſunt prædicamentis,per propria,& quibus ea inſunt, per diuiſionem dignoſcamus. Verum ipſe in decem exemplis decem prædicamentorum enumerationem facit:nos vero in vno eodémq; exemplo doctrinã conficiemus,in Socrate. Eſt ergo Socrates ſubſtantia,vt homo: & quantum,vt bicubitus,vel tricubitus: quale autem,vt albus,muſicúſve:ad aliquid,vt iuuenũ curator,aut Sophroniſci filius:vbi,vt docens in Lyceo: quãdo,vt qui Peloponneſiacis fuit temporibus:& facere,vt qui cernit:& pati,vt qui cernitur:ſitum eſſe,vti ſtans,vel ſedens,vel ſub platano recubans,vt humilitatem orationum Lyſiæ audiat. (Aut enim recta vniuerſa membra ſunt,ídq; ſtare dicitur:aut ſupina omnia, & recubare nuncupatur : aut partim erecta,partim ſtrata, quod ſedere appellant:)habere autem,vt veſtes circundatas.Nõnullos quoq; hæc angit difficultas,quomodo ſimplicia eſſe prædicamẽnta affirmemus, ſi quatuor vti prædiximus ſimplicia,ſex cõpoſita habeantur?dicimúſq; compoſita vocari ea,quòd ſpeciem nobis inuehant compoſitionis, cum ſint ipſa ſimplicia. Non enim prædicamẽtum eſt in loco exiſtens,aut in tempore exiſtens:ſed eſt prædicamentum eſſe in loco, eſſe in tempore:ob id enim & nonnulla ex ijs per infinitum nominauit, ne aſciſcendo perſonas compoſitionẽ quampiã induceret. Vt facere,& pati,& habere, & ſitũ eſſe infinitiui ſunt. Quoniã vero decẽ prædicamẽtorũ * ens genus eſt,digeri quoq; in ordinẽ poſſunt. Prior ergo ſubſtãtia eſt,ceu ſubiecta omnibus:ſecundũ quantũ,ſiquidẽ & informis materia quantitatẽ prius induit,tũ ſic qualitate afficitur:tertiũ quale,ac prius eo quod ad aliqd referẽ,quãdo & id quod p ſe exiſtit,eo quod aliò ſpectat,priꝰ eſt. At hęc ſi ſic habẽt,vtiq; priora ea ſunt,quę ex ſubſtãtia & quãto ijs quę ex ſubſtãtia & quali cõſiſtunt:quæ itẽ ex ſubſtãtia & quali,ijs quæ ex ſubſtantia & ad aliquid pertinẽtibus. *Eſt autẽ ſubſtantia quidẽ, vt formula dixerim.* Non omnium ſubſtantiam notat: nõ enim intelligibilis ſignificatur ſubſtãtia,verũ ſenſibilis. Tu verò & reliquas res,quæcũq; in natura per ſe ſunt, nec alio quopiã egent vt ſubſiſtãt, ſubſtantias intellige. *Quale autem, vt album, grammaticum.* Hic operæprecium eſt adnotare, cum omnis in ſubiecto qualitas habeatur , non omnis autem ſit idem ſpecie ſubiectum ſortita, ſed partim cõſiſtat in corpore,vt caliditas,partim ipſum eſſe in animo habeat,vt Geometria,velítq; Ariſtoteles per exempla duplicem ſpeciem qualitatis oſtendere,protuliſſe eum,ac dixiſſe:Quale autem,vt album,grammaticum:vtiq; album ſumens qualitatis exemplum in ſubiecto corpore inſitæ : eius vero quæ ipſum eſſe in animo obtinet, grammaticum. *Habere autem, vt calceatum eſſe, armatum eſſe.* De ijs quoq; ſimplicibus intelligendum eſſe liquido conſtat.ait enim: Eorum quæ ſecũdum nullam complexionem dicuntur.Cæterum ſunt qui quærant, cur quemadmodum ſunt facere ac pati oppoſita,aliũdq; patiendi prædicamentum ſtatuat,aliud faciendi,non idem & hoc loco agat (ſunt enim oppoſita habere atq; haberi)nec ipſius haberi prædicamentum dixerit, ſed eius tantum quod eſt habere? Dicimus itaq; poſſe hoc ſub ſitus prædicamẽtum referri,ipſum inquam haberi.Id enim haberi dicimus quod vſquam eſt ſitum,vt in horto verbi gratia arbores,vel vt in corpore arma,ſeu veſtis,* atq; hæc ipſe haberi diceret. hortum quoq; habere arbores,& eos ab ipſo haberi: quæ & per ſitum eſſe,vti diximus , pronunciare nobis licebit.vnde & ſępe ita loquimur,amictus pallio ſum,vel talis eſt armis circũdatus,quod Greci dicunt πεφιἐσθαι. Quemadmodum igitur in facere ac pati vtrunq; idem ſubiecto prædicamentum eſt,reſpectu autem diuerſum(nam facere dicimus cum à faciente,pati

* *Multis in locis Ariſtoteles docet, ens nõ eſſe genus prædicamentorum, quare vide num in codice Græco* οὐκ ἔστι, *non eſt,legendum ſit.*

* *In Aldino codice id ſolũ additur, poſt veſtis* ἢ περίκειται ὁ λεῖνα τὰ ὅπλα. *Nos aliquid addentes, vt clarior ſit ſẽſus, ita vertimus: vnde illud. aut aliquis circundatur armis.Niſi fortè ἢ, hoc eſt, vt legendum ſit.*

vbi à patiente inceperimus) ita hoc quoq; loco habere, & ſitum eſſe ſiue haberi, ſunt eadem ſubiecto, reſpectu diuerſa. Habere enim dicimus cum initium ab eo qui habet ſumpſerimus, cum autem ab illo quod habere quis fertur, ſitum eſſe, ſiue haberi.

6 Singula igitur eorum quæ dicta ſunt, ipſa quidem ſecundum ſe in nulla affirmatione dicuntur vel negatione: horum autẽ ad ſeinuicem cõplexione, affirmatio vel negatio fit. Omnis enim affirmatio aut negatio videtur vel vera vel falſa eſſe, eorum autẽ quæ ſecundum nullam complexionem dicuntur, nullum neq; verum neq; falſum eſt: vt homo, albũ, currit, vincit.

7 *Vnumquodque autem ex ijs quæ recenſuimus ipſum quidem per ſe in nulla affirmatione dicitur, vel negatione: at horum mutuo complexu affirmatio fit vel negatio.*

Hîc à ſequẽtis libri intẽtione, qui de interpretatione inſcribitur, propoſiti libri intẽtionem diſcernit. Quoniã in hoc de vocib⁹ docet ſimplicibus, in illo de affirmatione ac negatione. Diſtinguit autẽ ſyllogiſmo in ſecũda vtens figura: cuius medium terminum ſumit veritatẽ ac falſitatẽ: ait enim, oĩs affirmatio vel negatio veritatẽ aut falſitatẽ ſignificat: nulla ſimplex vox affirmationẽ aut negationem deſignat: neq; enim ſi homo homo ſexcẽties dixero, verus ſum aut mẽtior: ſimiliter ſi ambulat ambulat ſexcẽties proferã, nec verũ nec falſum enũcio. Quòd ſiquis aſſeueret, dicentẽ ambulo vel verũ eſſe vel falſum, (nã ſi forte ambulet, verus eſt: ſin min⁹, falſus) reſpõdemus, eũ qui ambulo dixerit, pronomen quoq; ego poteſtate cõprehendiſſe, perinde ac ſi ego ambulo dixiſſet. Quamobrem quicũq; ambulo inquit, poteſtate ꝓnomen ego ad veri & falſi generationẽ amplectitur: nec prædicamentũ ſolum ipſum ꝑ ſe, nec ſimpliciẽ vocem pronunciat. Iã enim cõmonuimus, ſimplices voces nõ ſola prolatione æſtimãdas, neq; cõpoſitas: ſed voces quoque cõplexas, ſi ſimplex quicq̃ declarent, ſimplices eſſe: & quaſdã ſimplices, ſi id quod intelligitur cõplexum nec ſimplex habeant, cõpoſitas haberi. Quocirca curro nõ ſimplex eſt, quoniã nec ſignificatũ ſimplex. Ariſtoteles vero hanc ipſam prius dubitationẽ reprimens, dixit: Eorum quæ ſecundũ nullã cõplexionẽ dicũtur, hoc eſt eorum quæ nec ſignificato cõplexa ſunt. Igitur voces ſimplices, vti explicatum eſt, ſi ꝑ ſe proferanť ipſæ, nullã veritatem aut falſitatẽ indicant: at affirmatio oĩs vel negatio planè aut veritatẽ aut mendacium declarat: vt ſi inq̃ Socrates ambulat, ſi forte fortuna ambulet, vera locutus ſum: ſin ſedeat, falſa. Rurſus quoq; cũ dixero, Socrates nõ ambulat, ſi nõ ambulet, veritatem ſum aſſecutus: ſin ambulet, mentitus ſum. Ergo prædicamenta, vti eſt proditũ, cũ voces ſimplices ſint, veritatẽ nullã vel falſitatẽ ſignificant: q̃ ſi inter ſe conferanť, affirmationẽ faciunt vel negationem, in quib⁹ veritas ineſt & falſitas: vt homo currit, ex ſubſtantiæ & faciendi prædicamento conficitur: affirmatio autẽ, negatiua particula quadã in medium aſcita, negatio fit, vt homo nõ ambulat. *In nulla affirmatione dicitur, vel negatione.* Multa exemplaria quę quidem & emendatiora videtur, nõ habent vel negatione: verum id ſolum, in nulla affirmatione dicitur. Si enim prædicamentũ nullam affirmationem ſignificat, multo magis nec negationem: quoniã negatio particulam negatiuam inſuper deſyderat: magiſq; ſuſpicabitur quiſpiam facere prædicamentum aliquod affirmationem quàm negationem. *Omnis enim affirmatio vel negatio veritatem ſignificare aut mendacium videtur.* Verbũ videť adiectum eſt, quoniã nec affirmatio vera eſt omnino, nec falſa prorſus negatio: vt ſiquis dicat curro, vel nõ curro. Quãdoquidẽ igitur ego ꝓnomen in ijſce ſubaudiť facultate, huius gratia dixit videtur. Aut igitur hoc eſt, aut vacat verbũ videtur: aut inſignis eſt error ſcriptorũ, aut ponitur loco huius, ita oĩbus videtur. Quærunt aliqui ſub quod prędicamentum oporteat & punctum, & ipſum nunc, & vnitatẽ referri. Ad ſubſtantiã quidẽ nõ poteſt: nã ea ꝑ ſe exiſtens quiddã eſt: horũ autẽ nullum propriã ſubſiſtentiã obtinet: habet enim ſuum eſſe in linea punctũ, cum lineę finis atq; initium ſit: & nunc in tẽpore: nã tempus nõ eſt, ſed tẽporis principiũ finiſq;. Per nunc, temporis momẽtũ intelligo, latitudine omni ꝓrſus abiũcta. Vnitas quoq; pricipiũ numeri, nec vllo pacto numer⁹ eſt: quare nec ſeorſũ eſt numer⁹, ſed ipſũ eſſe in numero obtinet: eſt enĩ principiũ: at eſſe pricipij in illis

habetur,quorũ eſt principium.Neq; vero hæc quãta dicere poſſumus:eſt enim æquale & inæquale proprium quanti:punctũ autẽ & ipſum nunc cui erunt æqualia? nã nec punctũ puncto æquale dicitur, nec nunc ſimiliter. Sed nec vnitas vnitati qua ratione vnitas eſt: æqualia enim ea dicimus, quæ idẽ quantũ, ac partes ſimiliter habent eaſdem:at hæc nec quanta ſunt,& partibus carent.Verũ nec dici de ijs poteſt inæquale, tametſi quis in ipſis æquale dici cõceſſerit.Tẽpus enim tẽpori vel ęquale fertur vel inæquale,& numerus numero æqualis vel inæqualis,& linea lineæ,vt quæ quanta ſunt:nã pro partium identitate vel ęqualia vel inæqualia nũcupamus:hęc vero cũ ſint ſine partib⁹,nihilq; ſint,ex ijs quę cõmemorauimus,nõ habẽt cũ alijs ſimilitudinẽ. Præterea,quantũ partim continuũ eſt, partim diſcretum:hæc autẽ nec continua nec diſcreta ſunt,ſed partib⁹ vacant. Id enim continuũ vocamus,quod habet vnitas partes:diſcretũ,quod ſeiunctas. Porrò illud ſciendum,quoſdã redigere ſub ea hæc velle quæ ad aliquid referunt,atq; hęc ſuorũ conſequẽtium principia eſſe affirmare, punctũ lineæ,vnitatẽ numeri,nunc tẽporis. Principia igit ſi ſunt quorundã principia,id gen⁹ autẽ ſunt quæ ad aliquid pertinent(nã pater filij pater eſt,& dimidiũ dupli dimidium) ergo & hæc ſub ea quæ ad aliquid ſpectant referri debẽt. Sed reſpõdemus ad aliquid ſe habẽtia(vt fatetur ipſe inferius,) quorũdam reſpectus eſſe dũtaxat,nec propriã habere ſubſiſtẽtiã:ſed ipſum eſſe in alijs obtinere prædicamẽtis. Nã aut in ſubſtãtia,aut in q̃to,aut in quali,aut in quopiã alio prædicamẽto cẽſent:eáq; ob id ſtolonibus aſſimilat,quorum eſſe in alijs hoc eſt in ſtirpibus habetur.Licet igit in prædicamentis oĩbus ad aliquid ſpectantia contẽplari.Cũ enim dixero pater filij pater,ad aliquid relata in ſubſtantia dixi:cum autẽ duplũ dimidij duplum,eadẽ in quantitate pronũciaui: cũ albius albo albius,in qualitate:atq; in alijs ſimiliter. Hæc igit ipſa p ſe quid ſint,quóve ſub prædicamẽto ponãtur, ac ipſorũ tunc mutuum reſpectũ,opus eſt,exponamus. Quid itaq; dicemus? Nẽpè ſub nullũ hęc re vera prædicamentũ,quantũ ex præſentis operis intentione recipi:ſiquidẽ propoſitũ eſt,vt ſæpe diximus, Ariſtoteli nõ de entibus qua ſunt entia differere,ſed quatenus p id genus voces ſignificantur ab hominũ multitudine:vult enim in hiſce de vulgo notis tractare . Quoniã ergo nullã de his vulgus hominũ notitiã obtinet,tametſi ea licebat ſub vnũ prædicamentũ quantũ inquã referre,ac dicere quãtũ alterũ ſecari in ptes, alterũ eſſe ſine partib⁹:ſectile aut cõtinuũ eſſe,aut diſcretũ:atq; hęc ſub indiuiſibili quãti ſegmẽto ſtatuere, nõ tamẽ repoſuit:propterea q̃ de hiſce rebus inſtitutio,ppoſiti libri intentioni nequaq̃ conueniat. Atq; velle ipſum nõ de entib⁹ decernere quatenus entia ſunt,cõſtat ex eo,q̃ cum triplicẽ in naturali auſcultatione ſubſtãtiã prodiderit,vnã quæ ad materiã pertinet,alterã ad formã,tertiam ad vtranq; ſimul,nuſq̃ hîc neq; materiam p ſe, neq; formã,ſubſtantiæ noĩe appellandã cenſet:nẽpè q̃ horũ vtpote ſimplicium,nullam cognitionẽ hominũ multitudo habeat,ſed cõpoſitum ex ijs dũtaxat norit.Cæterũ & illud diſquirunt,ſub quod prædicamentũ referẽdæ priuationes negationéſq; ſint?Reſpondemus q̃ optimè ſub nullum:quando nec finitũ quicq̃ declarant: at indicatiua certarum ſunt rerum prędicamenta. Quòd ſi omninò prædicamẽto ſubijci eas opus ſit,ad idẽ ſeſe priuationes ad quod & habitus recipient:& inficiationes ad quod affirmationes. Eſt enim genus idẽ contrariorum, vt albi & nigri, & calidi & frigidi,ac ſimilium. Rurſus quærunt motus & mutationes ad quod prædicamentum reducere oporteat?atq; ſub nullum inquã.Sunt enim prædicamẽta earũ rerum,quę in natura exiſtunt, quæq; ſuam perfectè ipſarum formam receperunt: eſt autẽ imperfectum quiddã omnis mutatio:via enim eſt ad formã atq; ens,mutatio,nõ ens ipſum.Aliter quoq; reſpondeas: videlicet ne fieri quidem poſſe vt ſub vnum prædicamentum mutatio omnis redigatur: in pluribus enim,vt ipſe edocebit,viſuntur mutationes.Nã & in ſubſtantia ſunt,vt generatio & corruptio:& in quanto,vt incrementum & diminutio:& in quali,vt dealbatio & denigratio:& in prædicamento vbi,vt aſcenſus,deſcenſus,reuolutio.Quamobrem mutationes viæ ſunt,quæ ad prædicamenta deducunt,aliæ ad aliud,nec ipſæ prędicamentũ cõplent.Nam mouere atq; omnino mutare ſub faciendi,moueri autem & deniq; mutari ſub patiẽdi prædicamentũ referẽtur : ipſi vero motus mutationéſq;, cum viæ ac generationes quædam ad prædicamenta ſint,ad ea modo quo diximus, ſi oporteat,redigentur.

DE SVBSTANTIA.

10 SVbſtantia autẽ eſt quæ propriè, & principaliter, & maximè dicitur, quæ neq; de ſubiecto aliquo dicitur, neque in ſubiecto aliquo eſt: vt quidã homo, & quidã equus. Secundæ autẽ ſubſtantiæ dicuntur ſpecies, in quibus eæ quæ principaliter ſubſtantiæ dicũtur inſunt, & hæ quidẽ, & harum ſpecierum genera: vt quidã homo in ſpecie quidẽ eſt in homine, genus verò ſpeciei animal eſt. Secundæ igitur hæ ſubſtantiæ dicuntur, vt eſt homo, atque animal.

Subſtantia quæ potiſſimum, & primo, & maxime dicitur, eſt quæ neque de ſubiecto dicitur aliquo, neque in ſubiecto quopiam eſt, vt aliquis homo, & aliquis equus.

Cum ea expoſuerit, quæ ad abſolutã prædicamẽtorũ conferũt præceptionẽ, cúmq; proximè nos rudius ac veluti in exẽplis de ipſis quoq; prædicamẽtis docuerit, nũc ad exquiſitam etiam ipſorũ enarrationẽ cõuertit: docétq; prius de ſubſtãtia. Nã primũ in prędicamentis locũ ſubſtantia obtinet: eámq; ob id cæteris iure antepoſuit: ſiquidẽ hæc ſimul cũ alijs infert: nã ſi ſit quoduis ex accidẽtibus, erit omnino & ſubſtãtia, cui id accidit: reliqua vero ſecũ nõ infert: neq; enim ſi ſit ſubſtãtia, ꝓrſus & aliorũ quodq; eſt: & tollit qdẽ ſecũ alia, nõ ipſa tamẽ cũ alijs tollit. At quę ſimul interimunt, nec ſimul interimunt, quæq; ſimul inferunt non ſimul inferunt, ea priora eſſe naturâ cõfeſſum eſt: itaq; naturâ prior eſt cæteris ſubſtãtia. Alia ratio. Res partim ꝑ ſe, partim in ipſo, partim circa illud dicunt. Per ſe eſt ipſa ſubſtãtia: in ipſo quãtũ & quale (in ſubſtãtia enim ſpectant:) circa illud ſeptẽ reliqua habent. Præterea, hęc ꝑ ſe ſubſiſtit, neq; alijs ad exiſtentiã indiget: reliqua hęrent in alio: nã ipſũ eſſe in hac habẽt. Si enim ſubſtãtia ſit, alia quoq; ſint prædicãmẽta, eſt neceſſe: at niſi ſit, alia ſubſiſtere haudquaq̃ poſſunt. Porrò hęc ſubſtãtia tũ ſimplex eſt, tũ cõpoſita. *Sex enim modis ſubſtãtia dicit: nã aut exiſtentiã omnẽ declarat, quę & de accidẽtib⁹ fert: quaſi ea quoq; ꝓpterea ꝙ in rerũ naturâ exiſtant, ſubſtantiæ ſiue eſſentiæ nũcupent. Aut naturã non in ſubiecto iacentẽ, quæ ex oppoſito ab accidẽtib⁹ dirimit. Hæc in ſubiecto nõ hærens naturâ aut ſimplex aut cõpoſita eſt: ſimplex quædam deterior q̃ cõpoſita, quædã præſtantior. Eſt autẽ ſubſtantia cõpoſita, homo, & id genus alia: ſimplex vero & q̃ cõpoſita pręſtãtior, Deus, angelus, mens, anima, & ſimilia: ſimplex & q̃ cõpoſita deterior, materia prima, formáq;. Diſputat autẽ hoc loco Ariſto. neq; de ſimplici atq; ea quæ præſtat cõpoſitæ (nõ enim de reb⁹ diuinis ſibi differendũ propoſuit.) neq; de ſimplici ac deteriore q̃ compoſita, quãdo nec ſcrutari de natura inſtituit: ſed de ſola cõpoſita. Atq; huius alterã primã eſſe ait, alterã ſecundã: primã vocat particularẽ: ſecundã vniuerſalẽ, quæ ad ſpecies ac genera pertinet. Nã vt proditũ eſt ſæpenumero, nõ de entib⁹ qua ratione entia ſunt tractat, ſed in quo ſignificato vulgus hoĩm de prędicamẽto loquat. Quandoquidem ſi naturã eſſet rerũ ſecutus, primã generũ ac ſpecierum, ſecundã indiuiduorũ dixiſſet, vt pote illam cauſam, hãc vt ita dixerim cauſatã: enimuero cauſa cauſato, & vniuerſale particulari poti⁹ eſt. Itẽ priora naturæ, poſteriora nobis: & nobis priora, naturę poſteriora ſũt. Quoniã igit cũ his qui introducũtur ei ſermo eſt, meritò particularẽ ſubſtãtiã primã appellauit: eſt enim ſenſui hęc euidẽtior: ſecundã, quę in generib⁹ ac ſpecieb⁹ cõſiſtit: à particularibus nãq; ad vniuerſalia, illuceſcente ſerò in nobis ratione ſubuehimur. Ideo quaſi dogma haudquaq̃ probans, nõ quæ potiſſimũ & primò & maximè eſt, ſed dicit pronũciauit. Atq; quò planior ſermo noſter fiat, dicam⁹ hoc pacto, trãſpoſitis philoſophi aliquãtulum verbis: Subſtãtia autẽ quæ & potiſſimũ & primò & maximè dicit, hæc eſt, id eſt quæ vulgò dicitur. At vbi velut ex ꝓpria ſentẽtia ſermonem profert, nõ amplius dicit, ſed eſt verbũ vſurpat. Quæ inquit nec de ſubiecto aliquo dicit, hoc eſt prædicat, nec in ſubiecto quopiã eſt, & non nec in ſubiecto quopiã dicitur: cũ ipſe dogmati aſſentiat. Enimuero cognitã Ariſto. & intelligibilẽ fuiſſe ſubſtantiã ac cõpoſitis præſtãtiorẽ, ipſe planè & in metaphyſicis oſtẽdit, & in libris de cælo, atq; in octauo naturalis auſcultationis: vbi ꝑ ſe inqt mobilia priora eſſe ijs oportere, quę aliũde mouẽt, & imobilia ſẽpermobilib⁹. Nã niſi im-

Vide num melius ſit, in codice Græco pro ἐξαχῶς legere διχῶς duobus modis.

mobilis quædã ſempermobilium cauſa exiſteret, vtiq; illa motu ſempiterno haudquaq̃ perduraſſent agitãda. Hanc autẽ incorpoream eſſe,ac partib⁹ carere dimẽſionibúſq;,tali quodam demonſtrat theoremate:(nihil enim fortaſſis ab re fuerit ſpeculaminis velut in digreſſione meminiſſe)inquit enim hanc cauſam vi infinita cõſtare. Quod ſi eſt, planè quoq; incorpoream:nã corpus omne,vt ipſe ad calcẽ octaui naturalis auditus voluminis probat,finitã obtinet poteſtatẽ.Si enim infinita,demus inquit,eſſe infinitã:quãdo igitur diuidi poteſt omne corpus,diuidamus corpus hoc in tria verbi gratia: vtrũ ergo ſegmẽtũ quoduis,infinitã vim an finitam poſſidet?ſi infinitã,pars æquè ac totum valebit:id quod abſurdum eſt,nec fieri poteſt.Si finitam,patet id quoq; quod ex finitis conſtat finitũ planè eſſe:quare & totius corporis finita vis erit,nec infinita:ergo corpus nullum finitum vi infinita præditum eſt.Corpus vero nullum infinitum eſt magnitudine(nam id quoq; ipſe in phyſicis oſtendit:) nullum itaq; corpus infinitã vim obtinet:hoc ſi ſit,ergo quod facultatis infinitę cõpos ſit,corpus nõ erit:incorporea eſt igitur prima ſubſtantia,ſiquidem & infinita pollet facultate. Porrò nõ intelligibilem ſubſtantiam ſolum compoſitis nouit præſtantiorem,ſed cogitatricẽ etiam quã Græci διανοητικὴν nominant:ídq; in demonſtratiua probat cõmentatione.Ait enim,vti ſe habet ſenſus ad ſenſibilia, ſic haberi demonſtrabilia ad demonſtrationẽ:ſic ergo & permutato ordine vt ſenſus ad demõſtrationẽ,ita fore vt ſenſibilia ſeſe ad demõſtrabilia habeant: ergo ſi ſenſus deterior propterea eſt demõſtratione,q̃ hic circa particularia, illa circa vniuerſalia verſetur, deteriora quoq; erũt ſcibilibus ſenſibilia:quare nõ intelligibilem duntaxat,ſed cogitatricẽ quoq; præſtantiorẽ cõpoſitis ſubſtantiam cognouit.Hîc autem quæ ſecũdæ ſunt,primas, vti diximus,nominat,ijs de cauſis quas ſæpius recenſuimus. *Quæ neq; de ſubiecto dicitur aliquo, neq; in ſubiecto quopiam eſt.* Quæritur cur ſubſtantiam reliquis prædicamentis pręſtantiorẽ negatione finiuerit,ſi negationes affirmationibus cõtemptiores eſſe arbitramur. Itaq; dicimus,contrà finitiones per negationẽ aſcitas maiorem ſubiecto dignitatem afferre. Sic enim & Deum Opt.Max.ſignificare volentes, non quicquã de eo,vt diuinus inquit Plato,affirmamus: ſed ad negationes venimus.Interrogãte enim Timæum Socrate q̃d Deus eſſet,quid nõ ſit noui quidẽ inquit ille,quid vero ſit haud noui. Nã nec corpus,nec colorẽ,nec angelũ, nec eius quidpiã generis,ſed his pręſtãtiorẽ eſſe intelligo:quid autẽ ſit nõ intelligo.Quapropter ſubiectũ interdum magis eiuſmodi exornant finitiones: cũ ab inferioribus omnibus ipſum ſeiũgant.Solẽt quoq; materię finitionẽ negatione explicare hoc modo,quæ nec homo,nec lapis,nec ignis,nec corp⁹ deniq; eſt:ſed his deterius quidpiam. Quocirca deo diſſimiliter aſſimilari materiã ferunt. Aſſimilari,quoniã vterq; aliorũ negatione indicatur:diſſimiliter verò, quoniam cũ hic præſtantior exiſtat q̃ vt entia omnia conferri ei poſſint,vniuerſa abnegamus:deterior autẽ cum ſit materia omnium cõparatione,illa negamus.Quærendũ vero eſt num hæc ſubſtantijs quoq; intelligibilibus vt angelo ac ſimilib⁹ finitio quadret, vt dicere eas poſſimus neq; in ſubiecto eſſe,neq; de ſubiecto dici: nã & ipſis quodãmodo cõpetere ratio videtur.Sed aſſerimus non cõpetere:nã quæ acceptæ negationes in definitione ſũt nõ ſublationẽ ſolũ,ſed poſitionẽ quoq; ſignificãt:ſiquidem ad aliorũ diſtinctionem dicuntur.Nam nõ in ſubiecto quæ eſt ſubſtantia,ad eorum quæ ſunt in ſubiecto hoc eſt accidentium differentiã dictum eſt:non de ſubiecto autẽ ad eius quod de ſubiecto fertur diſcrimen. Enimuero quẽadmodũ duplex lumen eſt,alterũ quod diſtinguitur à tenebris,ijs inquã quæ in aëre offundũtur:alterum quod ad nihil refertur, nec oppoſitũ habet vllum, vt ſolare:ita negationes quoq; hîc p̃ ſe ipſas quãdoq;, nec ad diſcriminationẽ,interdũ verò ad oppoſitorũ diſcretionẽ dici affirmabimus.Ergo ſi negationes hoc loco nõ ad oppoſitorũ diſcrimen acciperẽtur,vtiq; cõuenire intelligibilibus ſubſtantijs finitionẽ,haudquaq̃ ratione omnino vacaret:quoniam nec in aliquo inſunt ſubiecto,nec de vllo ſubiecto prædicãtur: nũc verò aſſumptis ad differẽtiã negationibus,iure particularib⁹ ſubſtãtijs finitione dignitatẽ cõparamus,cũ eas per id quod dicit nõ in ſubiecto,ſeiungamus ab accidẽtib⁹:per verba autẽ hęc nõ de ſubiecto,ab ijs quę de ſubiecto prædicant diſcernam⁹. Et vero hîc ipſis dignitatẽ adhibemus,cũ vſum alijs prębere,nulli⁹ vero egere eas affirmam⁹. Vniuerſalia enĩ ad p̃dicationẽ opus habẽt particu-

laribus,hæc vero illis nõ item.At intelligibilibus ſubſtantijs nullã per hæc dignitatẽ affe-remus:nihil enim proditũ magni eſſet,ſi has in ſubiecto nõ eſſe dicerem⁹:neq; enim ad-uerſus eas diſtinctum accidens quodpiam eſt: ſiquidem nec capaces omninò ſunt accidẽ tium.Ac quid de intelligibilibus loquor ſubſtãtijs,quãdo nec ſoli animæ ratio congruet, vtiq; cũ abſolutã eam à reſpectu quẽ habet ad corpus, ac ſimilem deo redditã, bonúmq; mũdanum inſpicientẽ contẽplamur?at cum in generatione ſpectatur, corporibúſq; cõ-plexa eſt,tunc & ipſi finitio quadrabit,vt quæ ſubdita eſt accidentibus:nam philoſophiæ, vel grãmaticæ,vel alij cuiq̃ ſubiecta ſcientiarũ eſt,quę circa ipſam contigere.Porrò duo-rum quæ in finitione accepta ſunt,alterũ prius naturâ eſt,alterum doctrinâ. Cum enim ſint ſubſtantia & accidens, & vniuerſale & particulare , prior naturâ ſubſtantia eſt,quòd per ſe ea ſubſiſtat,illa vero ipſum eſſe in hac obtineant. Quod autem ad propoſitæ inten tionem doctrinę attinet,prius eſt particulare:etenim naturâ vniuerſale eſt prius.Itaq; ex ijs quæ in finitione ſunt accepta,alterũ ex rerum natura prius eſt,alterũ ex doctrinę intẽ-tione.Perpẽde itẽ eum de ſubiecto & in ſubiecto docere nõ temere antè cœpiſſe:quãdo-quidem futura nobis obſcura finitio erat,ſi voces quæ ignotæ eſſent , in ea aſſumerentur. *Secundæ vero ſubſtantiæ dicuntur.* Quærere hoc loco dignum eſt, qualẽ in ſubſtantia modum vſurpauerit diuiſionis:nam eorũ quę diuiduntur quædã velut genus ſecãtur in ſpecies,vt animal in rationale & brutũ: alia ſicut totũ in partes,vt corpus in man⁹ & pedes & caput ac reliqua:nõnulla verò ceu vox æquiuoca in ſignificata diuerſa, vt mus in marinum ter-reſtrémq;.nulla ne harum diuiſione ſubſtantiam in primã ac ſecundã diducit? Dicimus igitur primũ,nõ eſſe ſectionẽ eorum quæ diuiduntur vti genus in ſpecies:nã id genus di-uiſioni conſequens eſt,vna abolita ſpecie,nõ ſimul & reliquas aboleri:homine enim per-empto,nõ ſimul & reliquæ intereunt animãtes,quę ſpecies ſunt animalis:at hîc ſecunda ſi intereat ſubſtãtia,ſimul aufertur & prima:nã niſi genus ſit ac ſpecies, nec erunt indiui-dua. Præterea nulla ſpecies alterã ſpeciem cũ in eadẽ à ſe inuicem diuiſione ſeiunguntur continere poteſt:neq; enim continet homo equum, ſi in hæc animal diuidatur. Sed nec rurſus à rationali animali brutum cõprehendtur, aut contrà, ſi animalis item in hæc fiat diuiſio. At verò nec ita planè diuidas licet, vt alterũ in altero claudatur:verbi gratia ani-mal aliud eſt inops rationis aliud equus:nã & equus in bruto cõtinetur.Neq; enim quod cõtinetur id à continẽte ex aduerſo diſtinguitur:dicimus verò animal aliud eſſe rationa-le,aliud irrationale:quoniam cũ æquali à genere hæc diſtent interuallo,neutrum in alte-ro includitur. At hîc ſecunda ſubſtãtia primam cõplectitur,ſpecies enim genúſq;adhuc magis, contentiuum eſt indiuiduorum. Non ergo vti genus in ſpecies ſubſtãtiam in pri-mam ac ſecũdã diremit. Verum enimuero nec ſicut totum in partes,nec ſimilares,nec diſſimilares. Neq;enim ex aduerſo partẽ à toto , ſed partes à partibus hac in diuiſione li-cet ſegregemus.Nã nec manus dicimus aliud manũ eſſe,aliud digitum:continetur enim in manu digitus quoq; : hîc verò è regione diſtinguitur à toto pars: quippe & ſecunda in prima concluditur. Quinetiã in ijs quæ ceu diſſimilaria diuiduntur, totum propriæ partĩ nequaq̃ nomen impertit , vt in facie ſeſe res habet : non enim pars verbi gratia os,facies nũcupatur:hîc autẽ pars vtraq; totius nomine ſubſtantia vocata eſt. Rurſus quæ vt ſimi-laria diſſecãtur,totius habent nominationẽ finitionémq;, veluti in carne: ſimiliter enim pars carnis caro dicta eſt:& carnis finitionẽ admittit:at hîc tametſi prima nomẽ cũ ſecũ-da cõmune habeat,nõ tamen & finitione cõueniet : nõ enim vnã edes animalis vel hoſ finitionẽ ac Socratis.Nã ne finitio quidẽ planè eſt indiuiduorũ, hoîs autẽ animalíſq; eſt: ergo ſubſtãtia neq; vt totũ in partes cõſumit,neq; in diſſimilares,neq; in ſimilares. Verũ nec vt in diuerſa ſignificata vox æquiuoca diſpertit : nã eius generis diuiſio idẽ diſtribuit nomẽ ſegmẽtis,rei cõmunitatẽ nõ diſtribuit,vt homo & verus & pictus.Hîc vero eſt pri-mæ ſubſtãtiæ & ſecũdæ quædã vel penes definitionẽ cõmunitas:nã cõmune ambab⁹ eſt, in ſubiecto nõ eſſe.Quid igit dicimus?nẽpe diuiſionẽ nõ eſſe prorſus quæ nobis hoc loco traditur,ſed ordinẽ ſolũ enumeratorũ:veluti ſiquis orationis principia alia elementa eſſe dicat,alia ſyllabas,alia dictiones,alia nomina & verba : vel hominibus quibuſdã ordine ſedentibus,hunc eſſe primũ aſſerat,illum ſecundum:ordinis enim eſt id,non diuiſionis.

Secũdæ vero dicũtur ſubſtãtiæ, in quibus ſpeciebus eæ ſubſtãtiæ ſunt quæ primæ appellantur. Quãobrem vero nõ in vniuerſum dixit, Secũdæ dicũtur ſubſtãtię ſpecies & genera, ſed in qb⁹ ſpecieb⁹ eæ ſubſtãtię ſunt quæ primæ appellãtur? Dicemus, ſubtiliter admodũ ita diſſertum. Nã ſi genera & ſpecies dixiſſet, quoniã in alijs prædicamẽtis genera ſpeciéſq; habẽtur, vt color genus in quali, ſpecies albũ & nigrũ, eſſe in accidẽtibus quoq; ſecũdas ſubſtãtias ſuſpicari nobis liceret: ob id nõ ſpecies quaſlibet, ſed in quibus primę ſubſtãtiæ inueniunt̃ ſpecieb⁹ ſecũdas ſubſtãtias appellauit. Eſt vero hoc loco etiam adnotandũ, in ijs ipſum quæ nõ ex propria afferuntur ſententia verbum dicuntur protuliſſe: ſecundæ enim inquit, dicuntur ſubſtantiæ: quæ autem ex propria opinione aſſeruntur, in ijs non dicũtur, ſed inſunt pronũnciare. In quibus enim, inquit, ſpeciebus eæ ſubſtantiæ ſunt, quæ primæ appellantur. Neq; in ſecundis duntaxat ſubſtantijs verbo dicuntur, ſed in primis quoq; eſt vſus: eæ enim, inquit, ſubſtantiæ quæ primæ appellantur. Ipſi autem primę ſubſtantiæ in ſpeciebus eſſe ac generibus vt in vniuerſalioribus videntur. Verũtamen & genera & ſpecies, vt traditum eſt, perinde quaſi in indiuiduis ſint, licet ſumere. Cum enim vt communitates ea ceperimus, tunc vniuerſaliora ſunt, quaſi in ſe indiuidua complectantur: at cum in Platone aut Socrate genus vel ſpeciem acceperimus, tunc vt elementa ea capientes indiuiduorum, dicemus in indiuiduis ipſa vt partes in totis contineri.

Manifeſtum eſt autem ex ijs quæ dicta ſunt, quòd eorum quæ de ſubiecto dicuntur, neceſſe eſt & nomen & rationẽ de ſubiecto prædicari: vt homo de ſubiecto quodam homine dicitur. prædicatur etiam & nomen. hominem enim de quodam homine prædicabis: & ratio quoq; hominis de quodam homine prędicabitur: quidam enim homo, & homo eſt & animal rationale mortale: quare & nomẽ & ratio de ſubiecto prædicabitur. Eorũ vero quæ in ſubiecto ſunt, in plurimis quidem neq; nomen neq; ratio prædicatur de ſubiecto: in aliquibus autem nomen quidem nihil prohibet prædicari aliquãdo de ſubiecto, rationẽ vero impoſſibile eſt: vt album cũ in ſubiecto ſit corpore, prędicatur de ſubiecto. (dicitur enim corpus albũ) ratio vero albi, nũq̃ de corpore prædicabitur. Alia vero omnia aut de ſubiectis dicuntur primis ſubſtantijs, aut in ſubiectis eis ſunt. Hoc autem manifeſtum eſt ex ijs quæ per ſingula proponũtur: vt animal de homine prædicatur: ergo & de quodã homine animal prędicabitur: nã ſi de nullo quorundam hominũ, neq; omninò de homine. Rurſus color in corpore eſt: ergo & in quodã corpore: nam ſi nõ in aliquo eſſet ſingulorum, nec omnino in corpore. Quare alia omnia aut de ſubiectis primis dicuntur ſubſtantijs, aut in ſubiectis eis ſunt. Non ergo exiſtentibus primis ſubſtantijs, impoſſibile eſt aliquid aliorum eſſe. 11

Porrò ex ijs quæ diximus conſtat, neceſſe eſſe eorum quæ de ſubiecto dicuntur tum nomen tum rationem de ſubiecto prædicari.

Vult hoc loco primã ſubſtãtiam laudibus efferre & oſtendere dictã eſſe eam nõ ineptè ſubſtantiam primò & potiſſimũ & maximè: quãdoquidẽ hæc nullo eget poſteriore: quæcũq; autẽ poſt primã ſubſtãtiam ſunt, illã partim ad ſubſiſtentiã, partim ad prędicationẽ requirunt. Eſt igit̃ hæc intẽtio. Ad propoſiti autẽ probationẽ hęc prius aſſumit, atq; inquit, ex dictis patere, eſſe neceſſe, eorũ quæ de ſubiecto prædicãtur, & nomẽ & rationẽ de ſubiecto prædicari. Ex quib⁹ dictis? nimirũ illis quæ ſuperius tradũtur, de ijs quæ de ſubiecto prędicãtur in quibus dicebat: Quãdo alterũ de altero prædicat̃ vt de ſubiecto, quęcũq; de prædicato dicũtur, de ſubiecto quoq; dicẽtur omnia. Hæc autẽ aſſumit, cũ primã, vt dixi

celebrare ſubſtantiam velit, nempe quæ de ſubiecto prædicâtur & nomen & finitionem ſubiectis tribuere:quæ verò ſunt in ſubiectis,ipſum quidem eſſe in ijs habere:vel nomen autem ſolum,vel neq; nomen neque finitionem ſubiectis impertiri.Enimuero de prima ſubſtantia quæcunq; præter eam ſunt prædicantur omnia. Ergo primæ ſubſtantiæ, vſum omnibus quæ præter eas ſunt alijs ad hoc vt ſint,alijs ad prædicationẽ præbẽt. Nam quæcunq; præter primam ſubſtantiam ſunt, aut de ſubiecto de ea dicũtur,quæ nomen ipſi & definitionem tradunt,qualia ſunt genera ac ſpecies (hæc enim de ea prædicantur vniuocè.) nam & eiuſdem particeps nominis eſt prima ſubſtantia,vt dicitur vniuerſalis homo de Socrate:noménq; illi ac definitionem tranſmittit.(nam Socrates,& homo & animal vocatur) horúmq; particeps eſt finitionis: eſt enim ſubſtantia animata ſenſus compos:& animal rationale mortale. Cætera præter ſubſtantiam, accidentia inquam, quæ in prima ſubſtantia ſunt in ſubiecto,finitionis eam nunquam,nominis vero quandoq; ſolîus conſortem reddunt. Nam albedo eſt in corpore: nec finitionem vnquam corpori impertit. Haud enim dicere nobis liceret,corpus eſſe colorẽ qui viſum diſlipet: ſed ſic forte, quod triplici conſtat dimenſione,capax coloris qui viſum diſpergat:nomen tamẽ impertit (album enim corpus appellamus.) Verum nõ ſemper:nam ecce virtus:enimuero hæc neq; nomen neq; finitionem confert ſubiecto : non enim qui virtutis particeps eſt virtuoſus, ſed ſtudioſus perhibetur. Quæ autem nomen diſtribuunt:partim æquiuocè id faciũt,quę & rara ſunt:partim denominatiuè. Æquiuoce,vt grammatica mulier à grãmatica: & muſica mulier à muſica. Denominatiue autem,quæ etiam ſunt plurima,vt à fortitudine fortis:& à grammatica grammaticus:& albus ab albedine:& quæcunque eiuſmodi ſunt. *Alia namq; omnia vel de ſubiectis dicuntur primis ſubſtantijs.* Bene dicuntur:non enim egent particularibus vniuerſalia vt ſubſiſtant:ſed vt de illis prædicẽtur. *Aut in ſubiectis ſunt ipſis.* Rectè ſunt dixit:nam accidẽtia ipſum eſſe in particularibus obtinent ſubſtantijs. *Hoc autem apertum ex ijs eſt, quæ ſingillatim proponuntur.* Alia omnia quæ præter primam ſubſtantiã ſunt,aut de ſubiecto ea dici, aut ipſi eſſe in ſubiecto vult inductione probare, quando vniuerſali ratione non potuit. Oſtendit autem non in ſpeciebus ſermonem faciens : nam has perſpicuum omnibus eſt de indiuiduis prædicari:nimirum proprium aliquando non tenentes nomẽ, indiuidua ipſa ſpeciei nomine nuncupamus,ac,voca hominem illum,dicimus:ſed in generibus demonſtrationem facit per ſpecies medias. Si enim demonſtratum eſt,eorũ quę vt de ſubiecto prædicantur, quæcunque de prædicato vt de ſubiecto dicuntur,ea de huic quoq; ſubiecto nuncupari,prędicatur autem de indiuiduo ſpecies vt de ſubiecto,rurſúſq; de hoc genus,planè genus & de indiuiduo prædicabitur:verbi cauſa ſi de Socrate homo, animal de homine,ergo & de Socrate animal. Similiter quoq; in accidentibus facit:non enim eſſe album in corporibus monſtrat aut nigrum.(nam hoc euidẽs eſt) ſed eſſe in corpore colorem. Si enim colorem omnem eſſe ipſum in corpore habere confeſſum ſit, ergo & particularibus in eſſe corporibus conſentiemus.(nam corpus ſimpliciter, de particularibus prædicatur corporibus) ſi igitur in corpore eſt color, corpus autem de corporibus particularibus dicitur,ergo & color de particularibus prædicabitur:quoniam in omnibus ijs quæ de ſubiecto appellantur, quæcunq; ferũtur de prædicato ea de ſubiecto quoq; aſſerẽtur. Quamobrem vero color dixit in corpore,ergo & in quopiam corpore: nam niſi in corpore aliquo, ne omnino quidem in corpore? quoniam in particulari corpore propriè ſunt vniuerſale album ac particulare. Quòd ſi dicas quónam pacto ea diſcernemus?non ſenſilibus quidem oculis,verum intelligibilibus. Ac quid tum?colores erũt?non.vniuerſalis enim quoniam eſt completiuus,cum particulari non cenſetur colore:nam completiuum nihil cum eo numeratur, cuius eſt completiuum . Sicut enim homo in vmbratili pictura & is qui eſt coloribus diſtinctus,neq; duo intelliguntur homines,nec qui completiuus eſt connumeratur,ſed alter communis,vtiq; is qui obſcurè deliniatus eſt,alter particularis,vnáſq; ambo ſunt,ſic & in homine vniuerſali ac Socrate. Eſt enim ſciendum q̃ quemadmodum primum pictor communem in rudi pictura hominẽ deſignat, dein coloribus exprimens,ducit vt Socratem faciat vel Platonem, ſic vniuerſali homo, cum ſit primus,ſi formationem accipiat,fiet Socrates aut Plato:natura enim ſimpliciter hominẽ

facit,non Socratem Platonémve.Ergo niſi primæ ſubſtantię ſint,aliorum quidpiam eſſe haudquaquam poteſt.*Alia vero omnia vel de ſubiecto de primis dicuntur ſubſtantijs,vel ſunt in ſubiecto in ipſis.* Vides quàm meritò ſupradicta prius aſſumpſerit, laudibus primam ſubſtãtiam extollere volens:cum enim quæ præter eam ſunt,inquit, omnia vel ſubſtantiæ ſint vniuerſales vel accidentia,prima vt ſæpe eſt dictum ſubſtantia,cum omnibus vſum præſtet, ſublata, ſecum quæcunq; præter ipſam ſunt ſuſtulit. Nam prima interempta ſubſtantia, accidentia in quo hæreant non habentia,ſimul abolita ſunt:ſimiliter & vniuerſalia, cum de quibus prædicentur non habeant.Porrò in vniuerſum prædicari dicimus nõ quæ ante multa ſunt,ſed nec quæ in multis.nam & hæc quidem ſimul cum primis ſubſtantijs dubio procul perimuntur. Non enim quidquam per ſe hominis in natura rerum eſt, quod nec Socrates nec Plato nec particularium quiſquam ſit hominum:quippe in multis ſingularibuſque ſpectantur communia:hæc tamen nequaquam prædicari de indiuiduis cõſueuere.Nam nihil ipſum de ſeſe prædicatur.Sola autẽ ea prędicari de indiuiduis ſolent, quæ ſunt poſt multa,quæq; in cogitatione verſantur:(quam enim habemus de rebus notionem,hanc prædicare de ipſis cõſueuimus) quæ ipſa quoq; vnà cum ſublatis particularibus auferuntur:nam niſi res ſint,vtiq; ne de ijs quidẽ extiterint notiones.Ergo niſi particulares adſint ſubſtantiæ,nec vniuerſalia erunt,nec accidentia. Merito igitur particulares ſubſtantiæ,primæ appellantur.Rurſus autem etiam hoc loco rectè vniuerſalibus verbum dicitur,accidentibus verbum eſt aſſignauit.

Secundarum vero ſubſtantiarum,magis ſubſtantia eſt ſpecies quàm ge 12
nus.propinquior enim eſt primæ ſubſtãtiæ. Si quis enim aſſignet primam ſubſtantiam quid eſt, euidentius & conuenientius aſſignabit ſpeciẽ quàm genus aſſignans: vt hominem quendam manifeſtius aſſignabit hominem quàm animal aſſignans:illud enim propriũ magis cuiuſdam hominis:hoc autem communius:& cum quandam arboré aſſignauerit,manifeſtius aſſignabit aſſignando arborem quàm plantam. Amplius,Primæ ſubſtantiæ ideo quòd alijs omnibus ſubijciuntur, & omnia alia vel de ipſis prædicantur, vel in ipſis ſunt,propter hoc maximè ſubſtãtiæ primæ dicuntur.Quẽadmodum autem primæ ſubſtantiæ ad alia omnia ſe habent, ſic & ſpecies ad genus ſe habet: ſubijcitur enim ſpecies generi: genera enim de ſpeciebus prædicantur:ſpecies autem cum generibus non conuertuntur.Quare & ex his ſpecies genere magis ſubſtantia eſt.

Secundarum vero ſubſtantiarum magis eſt ſubſtantia ſpecies quàm genus.

Comparationem facit ſecundarum inter ſe ſubſtantiarum, ſpeciei nempe ac generis: aitq; ſpeciem eſſe magis ſubſtantiam quàm genus, idq; duobus oſtendit argumentis:altero deſumpto ab habitudine quam habet ad primam ſubſtãtiam, hoc eſt à propinquitate, qua ad ipſam pertinet:altero à proportione. Atq; à primæ quidem vicinitate ſubſtantiæ, q̃ primę ſubſtantiæ id eſt indiuiduis propior ſit ſpecies quàm genus.A proportione autẽ, quòd vt ſubſtantia prima ad ſpeciem, ita ad genus ſeſe ſpecies habeat. Si enim ipſam ex, eo primam appellauimus,q̃ omnibus ea poſterioribus vſum exhibeat,alijs ad exiſtentiã, alijs ad prædicationẽ,iure ſpecies quoq; magis ſubſtantia quàm genus vocabitur,quæ ipſi ad prædicationem ſubiacet.Nam ſi ſpecies deſit,genus de quo prædicetur non habet: ſiquidem per mediam ipſam de indiuiduis etiam prædicatur. *Siquis enim primam ſubſtantiam quid ſit exponat, is notius familiariúſque aſſignabit, ſpeciem reddens quàm genus.* Hoc eſt à vicinitate argumentum.Si enim quid Socrates,inquit,ſit expromemus,rectè tum hominem tum animal aſſignantes loquimur: familiarius vero ſi hominem quàm ſi animal reſponderimus. Non enim ſi animal dixerimus,ſignificamus vtrum rationale an brutum: & mortale ne an immortale:at ſi reſponderimus hominem,propinquius eius naturam explica-

bimus. *Hæc enim magis hominis cuiuſpiam propria eſt, illud vero communius.* Eſt enim Socratis magis proprium eſſe hominem, animal autem communius: etenim de ſpeciebus alijs pluribus dicitur. *Præterea ſubſtantiæ primæ quòd alijs ſubiaceant vniuerſis, ac cætera de ijs prædicentur omnia, vel ſint in ipſis, ob id maxime ſubſtantiæ primæ appellantur. Vt autem primæ ad alia ſeſe habent ſubſtantiæ, ſic ſpecies quoq; habet ad genus.* Hoc eſt argumentum ſecundum, quod à proportione deſumitur. Vt enim ſeſe, inquit, primæ habent ſubſtantiæ ad ea, quæ præter ipſas ſunt, aliquibus ad exiſtentiam ſubditæ, nonnullis ad prędicationem, ita ſe ſpecies habent ad genera, quibus ſunt ad prædicationem ſubiectæ. Genera vero non item ſubiacent ſpeciebus: quãobrem ſpecies iure ſunt magis ſubſtantiæ. Porrò ſubtiliter adiecit ac cætera de ijs prædicentur omnia, vel ſint in ipſis: nam ſubiacent omnibus primæ ſubſtantiæ, verum non ſimiliter. Alijs enim vt exiſtant ſubiectæ ſunt, hoc eſt accidentibus: alijs verò id eſt vniuerſalibus ſubſtantijs ad prædicationem. Cæterum quæſiuerit quiſpiam, cur non ſpeciem ſubſtantiam ſecundam, genus tertiam nominauerit. Itaq; dicimus cum ſecũdas ſubſtantias vna eadémq; de cauſa has nuncupaſſet, quòd prima inquam ad prædicationem opus haberẽt, harum inſuper facere diuiſionem noluit: ſed comparare eas dũtaxat contentus fuit, atq; alteram magis, alteram minus ſubſtantiam vocare.

13 Ipſarum vero ſpecierum quæcunq; nõ ſunt genera, nihil magis alterum altero ſubſtantia eſt. nihil enim familiarius aſſignabis de quodam homine hominẽ aſſignando, q̃ de quodam equo equũ. Similiter autem & in primis ſubſtantijs nihil magis alterũ altero ſubſtantia eſt: nihil enim magis quidam homo ſubſtantia eſt quàm quidã bos. Meritò igitur poſt primas ſubſtantias ſola aliorum omnium ſpecies & genera ſecundæ ſubſtantiæ dicũtur: ſola enim hæc eorum quæ prædicantur, primam ſubſtantiam indicãt. Quendam enim hominẽ ſiquis aſſignauerit quid eſt, ſpeciem quidẽ quàm genus aſſignando familiarius demonſtrabit: & manifeſtius faciet hominẽ aſſignando quàm animal. Aliorũ verò omniũ quicquid aſſignauerit quis, aſſignabit extraneè: velut album, aut currit, aut aliud quodcunq; talium aſſignans. Quare merito hæ ſolæ aliorum ſecundæ ſubſtantiæ dicuntur. Amplius. Primæ ſubſtantiæ eo quòd alijs omnibus ſubijciuntur, & omnia alia de illis prædicantur, vel in ipſis ſunt, proprijſſimè ſubſtantiæ dicũtur. Sicut autem primæ ſubſtantiæ ad alia omnia ſe habẽt, ita genera & ſpecies primarum ſubſtantiarum ad reliqua omnia ſe habent: de his enim reliqua omnia prædicantur. Quendam enim hominẽ dices grammaticũ eſſe: ergo & hominem & animal grammaticum dices. Similiter autem & in alijs.

Ipſarum autem ſpecierum quæcunque genera non ſunt, alia nihilo magis ſubſtantia quàm alia eſt.

Cum ſubſtantiarum ſecũdum profundum, hoc eſt ab indiuiduis ad ſpeciem, ab hac ad genus diuiſionem confecerit, primámq; alteram eſſe pronunciauerit, alteram ſecũdam, ſecundarum autem vnam magis ſubſtantiam eſſe, alteram minus, nunc diuiſionem earum ſecundum latitudinem ac collationem facit, ſpeciei inquam ad ſpeciẽ, & indiuidui ad indiuiduũm. Et benè dixit quęcunq; genera nõ ſunt, nec ſubalternas ſpecies ac ſpecialiſſimas, vt animal hominémq; conferres: ſed comparare illas inquit oportere, quæ eodẽ à generibus aut indiuiduis diſtant interuallo, vt hominem & equum, vel bouem. Harum enim alia inquit nihilo magis ſubſtãtia quàm alia eſt: eæq; perinde abſunt à genere. Nam poſt animal protinus brutum ac rationale ſtatutum animal eſt: poſt quæ equus verbi gratia, & homo, atq; bos: vt enim de equo prædicatur animal, ita de homine quoq; ac boue. Similiter planta de vite & olea, quod genus earum proximum eſt, vt animal quoq; equi aliorũmq;: proinde ex ijs omnibus aliam alia nihilo magis ſubſtantiã eſſe. Nam & proxi-

mum eorum genus ab ipſis æqualiter diſtat, & poſt ipſa ſtatim indiuidua conſtituta ſunt. Verum nec indiuiduorum, inquit, aliud alio magis ſubſtantia eſt: ſimiliter namq; omnia ſpeciebus ſuis generibúſq; ad prædicationem, & accidentibus ad inhærentiam ſubſtrata ſunt. Quam enim vniuerſalis homo ad aliquem hominem habet rationem, eandem vniuerſalis equus ad equum quempiam obtinet: nam quemadmodum prædicãs de Socrate hominẽ, nihil prædicare familiarius potes, ita nec de Xantho equũ, aut canem de Argo. Atq; vel hinc manifeſtum eſt Ariſtotelem ad cognitionem vulgi præceptionem confice re. Nihilo enim magis indiuiduum indiuiduo primam eſſe ſubſtantiam affirmat: ſed formicam hãc verbi gratia, & hanc ſtellam pariter eſſe ſubſtantias. Hominum enim multitudo ſimiliter horum vnumquodq; eſſe ſcit: ob id ipſe quoq; ſimiliter vulgi ſententiã ſecutus, hæc ſubſtantias appellauit. *Ipſarum autem ſpecierum quæcunq; genera non ſunt.* Hoc eſt quæcunq; iuxta indiuidua ſunt, & ſpecialiſſimæ: quandoquidẽ & auis ſpecies eſt. *Iure igitur poſt primas ſubſtantias ſolæ aliorum ſpecies ſoláq; genera ſecundæ ſubſtantiæ dicuntur.* Nunc cauſam exponit ob quã genera & ſpecies ſecundæ ſubſtantiæ nuncupentur: tertias vero non item ſubſtantias ipſa accidentia nominet. Hoc autẽ rurſus duplici confirmat ratione: altera à propinquitate ad primas ſubſtantias, altera à proportione. Atq; ab ipſa quidem propinquitate, ꝙ vbi primas explicamus ſubſtantias, propriè ſolum per genus aut ſpeciẽ exponemus. Nam ſi Socratem hominem eſſe aut animal dixerimus, familiariter ac notius aſſignabimus: ſin album eſſe, vel currere, aut huiuſmodi quidquam pronuntiauerimus, alienè atq; ignobiliter explicabimus. Iure igitur genera ſpeciéſq; ſecundas ſubſtãtias dicimus, quaſi ſola primas ſubſtantias deſignent: accidentia verò haud prorſus vocamus ſubſtantias, vt 12
quæ ſubſtantiam primam non declarent. *Primæ item ſubſtantiæ quòd alijs ſubiectæ ſint omnibus, potiſſimum ſubſtantiæ nuncupantur.* Secundum hoc argumẽtum eſt, ídq; à proportione deſumptum. Sciendum eſt, primas ſubſtantias ob id primas vocari, ꝙ & accidentibus indiuiduis ad exiſtentiam ſuppoſitæ ſint, & vniuerſalibus ſubſtantijs ad prædicationem. Vtq; primæ ſubſtantiæ ad particularia ſeſe accidentia, atq; vniuerſales habent ſubſtantias. (ſubiacent enim ad exiſtendum illis, his ad prædicationem) ita ſecundas quoq; ſubſtantias accidentibus quæ in nouem genera in vniuerſum conſiderãtur, ſubiectas eſſe: hoc enim eſt quod alijs omnibus dixit, hoc eſt vniuerſalibus ſubſtantijs, vniuerſalibúſque accidentibus. Ac deniq; ita ſe habent ſpecies ad genera, vt indiuidua ad ſpecies: ſunt namq; ipſis ad prædicationem ſubditæ. Ait enim quemadmodum omnibus præter eas exiſtentibus ſubiectæ primæ ſubſtantiæ ſunt, ita & accidentibus ſecundæ: nam vt Socratẽ dicimus philoſophũ, ſic & philoſophum hominẽ, & animal philoſophum appellamus. Quamobrem ſubiacẽt & ſecundæ accidẽtibus ſubſtantiæ, & de ijs accidentia prædicãtur. Sed de indiuiduis quidem in primis, vt Porphyrius quoq; inquit: ratione verò ſecũdaria, & de generibus, & de ſpeciebus: at ſubſtantijs nunquam ſubiacent accidentia. Eſt autem non ignorandũ, ex ijs quæ prædicantur aliqua ſecundum naturam, alia præter naturam, nonnulla per accidens prædicari. Dicuntur ſecundum naturam accidentia de ſubſtantijs, vt Socrates eſt philoſophus, aut caluus, aut ſimus, vel id genus quidpiã: naturaliter enim ſubiecta eſſe accidentibus ſubſtantia conſueuit, accidentia autem de ea prædicari. Sed & vniuerſalia lege naturæ de particularibus dicuntur, vt de Socrate animal: etenim particularia ſubeſſe vniuerſalibus naturâ ſunt apta. Prædicatio præter naturam ea eſt, quæ contrarium efficit, atq; de accidente ſubſtantiam prædicat, vti ea quæ dicit hoc philoſophum eſt Socrates, & ſiquid huiuſmodi: non enim ea naturâ conſtant accidẽtia, vt ſubſtrata ſubſtãtijs ſint: & ea item quæ prædicat de vniuerſali particulare, vt quæ dicit hic homo eſt Socrates: vel color eſt album. Per accidens vero prædicatio eſt, quæ accidens de accidente, aliud de alio prædicat, genere inquã diuerſum de eo quod diuerſi generis eſt: vt ea quæ philoſophum quod eſt in Socrate de ſimo quod eidem ineſt, aut caluo prædicat, aut contra: dicítque exempli gratia hoc ſimum caluum eſſe, vel hoc caluum philoſophum, & ſiquid eſt tale. Enimuero per accidens dicitur, quoniam cum plura circa idem ſubiectum inuenta diuerſi generis ſint accidentia, nec de ſe inuicem prædicari naturâ idonea, aliud de alio dicitur propter habitudinem quam habent ad ſubiectum, non ꝙ mutua ſint cognatione coniuncta. Non

enim vt ſimum caluo ſubiectum ſit, comparauit natura : vtrũq; enim ſub genere diuerſo,alterum ſub quanto,alterum ſub quali cenſetur. Prædicationem autem id genus præter naturam non dicimus, quoniam planè accidens de accidẽte naturâ prædicari poteſt: naturâ poteſt autem vniuerſalius de magis particulari.Iure itaq; accidentia tertiæ ſubſtãtiæ haudquaquam vocata ſunt,quaſi non cuiquam ad exiſtendum ſubiaceãt. Sed & cum de accidente prædicatur ſubſtantia,huiuſmodi præter naturam eſt prædicatio.

14 Commune autem omni ſubſtantiæ eſt in ſubiecto non eſſe. Prima nãq; ſubſtantia nec in ſubiecto eſt,nec de ſubiecto aliquo dicitur. Secundarũ vero ſubſtantiarum conſtat quidem etiam ſic,quòd nulla eſt in ſubiecto:homo enim de ſubiecto quidem quodã homine dicitur:in ſubiecto vero non eſt. neq; enim in quodã homine homo eſt. ſimiliter autẽ & animal de ſubiecto quidem dicitur quodam homine,non etiã eſt animal in quodam homine. Amplius.Eorum quæ in ſubiecto ſunt nomen quidẽ de ſubiecto aliquando nihil prohibet prædicari, rationẽ vero impoſſibile eſt: ſecũdarum vero ſubſtantiarũ de ſubiecto & ratio prædicatur,& nomen. rationẽ enim hominis de quodam homine prædicabis,& animalis ſimiliter. Quare non erit eorũ ſubſtantia quæ ſunt in ſubiecto. Non eſt autem proprium ſubſtãtiæ hoc: ſed & differentia eorũ eſt quæ non ſunt in ſubiecto. bipes enim & greſſibile de ſubiecto quidẽ quodam homine dicitur, in ſubiecto verò nõ eſt:neq; enim in homine eſt bipes,neque greſſibile.Ratio quoque differentiæ de illo prædicatur de quocunque ipſa differentia dicitur:velut ſi greſſibile de homine prædicatur,& ratio greſſibilis de homine prædicabitur. eſt enim homo greſſibilis.

14 *Commune de omni ſubſtantia eſt, non eſſe in ſubiecto.*

Finitionem depromere vult. Verum quoniam generaliſſimũ eſt genus ſubſtantia,reddere eius finitionem propterea nequit, quoniam ex generibus finitiones ac differentijs eruuntur:at ſimplicis genus ſubſtantiæ reperias non licet, quòd genus ea vti diximus generaliſſimũ ſit.Itaq; ob eam rem ipſius propriũ aſſignat:eſt enim id finitioni ſimile. Nam vt finitio ſoli & omni cuius finitio eſt competit, atq; ad definitum commeat, ſic propriũ quoq; vni ineſt atq; omni cuius eſt proprium, atq; inter ſe illa reciprocant. Hac igitur de cauſa proprium vult ſubſtãtiæ prodere.Cæterum nõ quæ ipſe probet protinus tradit propria, ſed quæ propria eſſe ſuſpicatus aliquis fuerit, ne hæc propria quoque eſſe ſubſtantiæ, cuiquam dicere in poſterum liceat. Proprium autẽ cum depromere voluerit, detulit cõmune:ait enim,commune de omni ſubſtantia eſt,non eſſe in ſubiecto . Quid ergo dicemus?nimirum duo quædam proprio ineſſe planè oportere, quæ ſunt,ſoli illi, omníq; cõpetere cuius eſt proprium. Ergo per id quod commune eſt dixit,id eſſe in omni ſignificauit ſubſtantia. Proprium enim & ſoli illi rei ineſſe & omni oportet cuius eſt proprium, vt riſibile ſoli homini omníq; competit.Commune igitur inquit eſt omni ſubſtãtiæ, nõ eſſe in ſubiecto.Quódq; non ſit in ſubiecto prima ſubſtantia,ne probatione dignum quidem arbitratur,cum ſit id ex euidentia manifeſtum. Nam ipſum eſſe non habet in alio Socrates.Probat autem non eſſe in ſubiecto & ſubſtantias ſecundas: ídq; ſyllogiſmo vtens huiuſmodi in ſecunda figura:Secundæ ſubſtantiæ nomen finitionémq; ſubiecto diſtribuũt, quæ in ſubiecto ſunt,ea neq; nomen neq; finitionem,aut ſolum nomen tradũt ſubiecto, ergo ſubſtantiæ ſecundæ non ſunt in ſubiecto. *Porrò non eſt hoc ſubſtantiæ proprium: ſed differentia quoq; ex ijs eſt quæ non ſunt in ſubiecto.* Promulgatum ſubſtãtiæ proprium eijcit, vt quod nõ ſoli huic inſit,ſed etiã differentijs. Porrò ex hoc tum ſeiungere à ſubſtantijs differentias, tum connectere eas ſubſtantijs videtur. Nam cum ait non proprium id ſubſtantiæ, ſed

differentiarum quoq; eſſe,diſcernere eas videtur à ſubſtãtijs:per id verò rurſus quòd differentias de ſubiecto dici ait,in ſubiecto autem non item,ſubſtantijs eas coniungit.Nam ea,inquit,quæ in ſubiecto non ſunt, ijs tum nomen tum finitionem impertiunt de quibus de ſubiecto dicuntur:tales enim,inquit,ſunt & differentiæ:nam pedeſtre, & bipes,& rationale,non nomen ſolum homini elargiuntur: (pedeſtre enim animal homo dicitur, & rationale, & bipes) ſed finitionem quoq;, quocũq; modo quis horum cuiuſlibet rationem explicuerit. Verbi gratia ſunt in homine pedeſtre & bipes, ſed nõ vt accidẽtia:quoniam & nomine & ratione prædicantur de homine. (hominẽ enim pedeſtrem vocabis, dices & rationem pedeſtris,id eſt quod ſuper terram pedibus graditur) id vero proprium eorum eſt, quæ eſſentialiter de prima prædicantur ſubſtantia. Quamobrem differentias rurſum ſubſtãtias eſſe vult ex ijs verbis.Quidam igitur ad hoc tres eſſe ſpecies aiunt differentiarum:quarum aliæ magis ſubſtantiæ ſunt,quàm accidentia:quædam magis accidẽtia,quàm ſubſtantiæ:nonnullæ medio quodam adeò ſe modo habẽt vt ſit incompertum vtrũ accidentia magis ipſas an ſubſtantias dicamus.Exẽpli cauſa magis ſubſtantiæ quàm accidentia ſunt rationale,brutum,& quæ ſunt id genus:magis quidem ſubſtantiæ, q̃ ſubiectarum ſint ſpecierum completiuæ:accidentia vero,quòd in quale quidquam ſit prædicentur, quemadmodum & accidentia. At accidentia magis quàm ſubſtantiæ, album in olore & Scytha:& nigrum item in coruo & Æthiope:ab Æthiope enim Scytha differt,albo & nigro:accidẽs quidem q̃ abſq; ſubiecti fiat corruptione ac corrũpatur: pennis enim corui detractis nihilominus coruus erit:& ſi denigratum Scytham mente conceperis,nihilominus ille & homo erit & Scytha.Rurſus quæ huiuſmodi ſunt, ſubſtantiæ quodã pacto eſſe videntur:quoniam adeſt omni coruorum Æthiopúmque ſpeciei nigrum:ſimiliter & album oloribus ac Scythis. Medio verò quodam ſe habent modo, quæ ſunt in elemẽtis qualitates,vt calidum & ſiccum in igne:frigidum vel humidum in aqua.Cæterum quò planiora nobis fiant quæ de his,differentijs inquam quæ ſunt elementis inſitæ dicuntur,ſermonem paulò altius repetamus. Primam materiam aiũt philoſophi incorpoream eſſe propria ratione, figuráque carentem, ac magnitudine, atq; ab omni qualitate abiunctam.Quòd enim informis ſit,ex eo planè oſtenditur,q̃ omnium ipſa naturalium ſit capax formarum.Quemadmodum enim ligna domeſtico inſtrumento,materiæ rationem adhibentia,forma omni priuata ſunt,quæ in eo ſpectatur (nam neq; ſedilis formã habet, neq; abaci, neq; alterius id genus vllius) ſic materia quoq;, cum fundamẽtum quoddam ac omnium quæ in corporibus conſiderantur formarum ſit conceptaculum,ne vnã quidem propriam formam obtinebit. Hæc igitur ſecũdum tres dimenſiones in molem exaucta,ſubiectum ſecundum hoc eſt corpus qualitatis expers, ex Ariſtotelis facit ſentẽtia. Quandoquidẽ enim per ſe ſubſiſtere qualitates haudquaquam valebant (nam ipſum eſſe qualitas omnis habet in corpore,) corporis eguere,quod,vt in ipſo exiſterent, propria ratione qualitate vacaret. Huic igitur parte quadam ſicca & calida accedẽs qualitas ignem effecit:frigida & humida aquam:rurſus ſicca & frigida terram:aerem autem calida & humida.Non quòd actu vel incorporea materia,vel corpus qualitatis expers aliquandò fuerit:ſed id dicimus,rectum generandarum rerum ordinem contemplantes, diuidentéſq; hæc cogitatione,quæ natura ſeparari non poſſunt.Quæ ergo ſuperueniunt qualitates corpori,ſecundo inquam ſubiecto, quatenus ipſi qualitate carenti aduenere, ſunt accidẽtia: ſubſtantiæ autem quatenus ignis,aquæ,elementorúmque reliquorum ſunt completiuæ. Calida enim & ſicca igni velut corpori qualitas ſuperindita eſt,vt autẽ igni, non hæc etiã ſupereuenire dicuntur, ſed huius magis complere ſubſtantiam. Quamobrem mediè hæ quodam pacto ſe habent,nihilo magis ſubſtantię quàm accidentia:nam corpori quidem ſimpliciter, quod trina inquam dimenſione conſtat,contigere: inſunt autem ſubſtantialiter elementis,cum completiuæ eorum ſubſtantiæ ſint. Quoniam igitur,inquiunt, non vna ſpecies,vt oſtenſum eſt,habetur differentiarũ, Ariſtoteles cum quaſi ad totam differentiarum reſpexerit latitudinem,de differentijs neq; vt ſubſtantijs abſolutè,neq; vt accidentibus enunciat.Nos ergo quid ad hęc dicimus? nempè hos ingenioſè quidem fuiſſe, cæterum non verè omnino commentos. Nam ſi differentias eſſe Ariſtoteles inter ſub-

ſtantias & accidẽtia volebat,faciẽdum ei prædicamẽtum erat vndecimũ,quod inter ſubſtantiã atq; accidens medium eſſet,quò differẽtias referret. Quòd ſi prẹter decẽ aliud nõ eſt,horúmq; vnũ ſubſtantia,cætera autẽ omnia ſunt accidentia,nihílque interiacet,entia omnia vel ſubſtãtiæ vel accidẽtia ſint,neceſſe eſt,ac nihil mediũ intercurrat. Quod autẽ ſubſtãtiæ dubioprocul ſint differentiæ ipſę,cõpertum inde eſt,q̃ completiuæ ſpecierum ſint eæ,ac de ipſis ſubſtãtialiter prædicentur. Nam ſi cõplent ſubſtantias, ſubſtãtiæ quoq; certè ſunt:nõ enim ſubſtãtiam cõplent accidentia. Quòd autẽ ſubſtãtias eſſe eas vel ipſi Ariſtoteli videatur,apertũ eſt ex eo quoq;,q̃ inferius partes eas vult eſſe ſubſtãtiarum,cũ
„ ait,Ne verò turbẽt vos partes ſubſtãtiarum:& rurſus: Cõpetit autem ſubſtãtijs ac differẽ
„ tijs vniuocè ab ijs dici omnia. Declaratur id etiam ex Porphyrij verbis:nam de ijs,vt pla
„ cet Peripateticis,diſſerẽs ille: Differẽtia eſt inquit,qua ſpecies eſt amplior genere:propria autem parte omnino eſt amplior:ergò pars quoq; ſubſtãtia eſt,ſi quidẽ & ſpecies. Quamobrem & Ariſtoteles tum ex ſuis verbis, tum ex ijs quæ Porphyrio ex Ariſtotelis ſententia prodita ſunt,ipſas differentias vult eſſe ſubſtantias. Quónam igitur pacto inquit: Propriũ autem hoc ſubſtantiæ nõ eſt,ſed differentiarũ quoq;? quaſi diuerſæ à ſubſtãtia palàm ſint differentiæ. Itaq; cenſemus, quẽadmodum in vnitate & puncto & inſtanti diximus, hæc ſub nullum prædicamentũ redacta propterea eſſe Ariſtoteli,q̃ pluribus cognita non eſſent hominibus. Etenim reducere illa quoq; ſub quantũ licebat ſi diceret,quãtum,hoc quidem in partes poſſe, hoc nõ poſſe diuidi, & quod diuidi poteſt partim cõtinuũ partim eſſe diſcretum:ſed nõ reduxit:quoniam, vt ſæpe diximus,non de ijs, quæ ſunt quatenus ſunt,hoc loco diſputat,ſed quatenus de ipſis vulgus hominũ cẽſet: Sic in præſentia quoq; ipſe ſcit differentias eſſe ſubſtantias, cæterum eas ſub prædicamentũ non refert ſubſtantiæ, q̃ notæ nõ ſint hominum multitudini. Quòd ſiquis dicat, atqui vulgo maniſtæ ſunt differentiæ,hominẽ enim rationalem ac mortalem eſſe ait. Reſpõdemus non de differẽtijs ceu de ſimplicibus,vt de ipſa per ſe rationabilitate (vt ita loquamur) aut irrationabilitate notionẽ ei,ſed quaſi de cõpoſitis haberi : rationale enim animal totũ vt vnũ quidpiam nouit,& brutũ ſimiliter. Porrò & ſuperius dicebamus, cũ ſubſtãtia partim ſimplex, partim cõpoſita ſit: ac ſimplex quædam ſit præſtantior corpore, quædã deterior, de ſola cõpoſita diſputare philoſophũ , quæ in generibus & ſpeciebus indiuiduíſq; ſpectatur. Nimirum igitur cõferens inter ſe ſubſtantias,ſola genera ac ſpecies aſſumpſit, & etiam indiuidua:quãdoquidem ipſi & de ſolis his docere cõſilium eſt: differentiarũ autem ne mentionẽ quidem fecit,quoniã ſimplices hæ ſunt. Hãc igitur ob cauſam dixit Ariſtoteles, nõ eſſe hoc ſubſtãtiæ proprium. Cæterũ non ſimpliciter omnis dixit,verum cõpoſitæ: nam nõ eſſe in ſubiecto non ſolum cõpoſitæ,ſed ſimplici quoq;,hoc eſt differentijs,competit. Cum vero ſuperius nobis quadripartita entiũ tradita diuiſio ſit,quærendum ſub quod diuiſionis ſegmẽtum redigere oporteat differentias. Dicimus itaq;, ſi quæ ante multa ſunt differentias ceperimus , has ſub primo ſegmento quod eſt de ſubiecto & non in ſubiecto ſtatuendas: ſunt namq; hæ vniuerſales ſubſtãtiæ. Si eas quæ in multis, primũ quidem ne differentias quidẽ has dici arbitramur,vti neq; genus,id quod in ipſis eſt animal. Si enim genus id eſt quod de pluribus & ſpecie differentibus in quid eſt prędicatur,animal autem quod in Socrate eſt,non dicitur de pluribus,vtiq; genus nequaquã fuerit. Et ſpecies ſimiliter quæ eſt in indiuiduo ſpecies dici nõ poterit:cum ſpecies de pluribus & differentibus numero in quid eſt prædicetur. Sic & rationale in Socrate nemo proprie loquẽdo differẽtiam dixerit. differentia enim de pluribus & ſpecie differentibus in quale eſt prædicatur: at rationale in indiuiduo,de eo prædicatur ſolo: nõ erit igitur differentia. Sed hæc partes eſſe dicimus indiuiduorũ. Vt enim ſpecierum partes ſunt genus & differẽtia, ſic quod in indiuiduo eſt animal & rationale,partes ſunt indiuidui. Quocirca nec ſub definitionem cadunt, vt pote indiuidua . Aſſerit enim in libro de demonſtratione Ariſtoteles , indiuiduorum nec finitionem nec demonſtrationem eſſe . Si enim ex generibus differentiiſq; conſtat finitio,in indiuiduis autem nec genus eſt nec differentia,dubium nemini eſt nec eorũ haberi finitionem: at ſi finitio non eſt,vtiq; nec demonſtratio: ſi quidẽ ex finitionibus demonſtrationes conſiſtunt. Quòd ſiquis differentias quoq; eas vocari dignum arbi

tretur, non abſolutè differentias, ſed vt in indiuiduo differentias nominabimus, quibus differt hic homo ab hoc equo & hoc angelo:idcirco ſub quartum eas recipiemus ſegmẽtum,quod eſt neq; de ſubiecto neq; in ſubiecto:quandoquidem & completiuę indiuidui ſubſtantiæ ſunt & particulares,de nullo enim prædicantur ſubiecto.

Non conturbent autem vos ſubſtantiarum partes,quæ ita ſunt in toto, 15
quaſi in ſubiecto ſint: ne forte cogamur eas non eſſe ſubſtantias confiteri. Non enim ita ea quæ ſunt in ſubiecto dicebantur quaſi vt partes eſſent.

Ne vero vos turbent ſubſtantiarum partes, vt quæ in totis in ſubiecto ſint, ne ſubſtantias non eſſe eas fateri aliquando cogamur.

Quod iniecturum Ariſtoteli ſcrupulum erat,id præueniens ipſe in quæſtionẽ deduxit & ſoluit. Addubitaſſet enim quiſpiam,quoniã ſunt in aliquo ſubſtantiarum partes (ſunt enim in ſubſtantijs) in aliquo vero & accidentia ſunt,partes ergo ſubſtantiarũ ſunt accidẽtia,quod eſt abſurdũ. Hoc igitur ſoluẽs,traditũ eſt inquit,quomodo accidens in aliquo dixerimus. Non enim quod velut ſubiecti pars eſſet,proditũ eſt: ſed vt quod ſine eo conſtare nõ poſſet: differẽtiæ autẽ vſum toti præbẽt,ac cõpletiuæ ſubiecti ſunt,ipſúmq; cõſtituũt: quapropter tametſi in eo cõueniant ꝙ in aliquo ſint,eſt quoddã tamẽ in ipſis diſcrimen,quatenus hæ cõplent ſubiectum,ſúntq; ab eo inſeparabiles: illa verò nec complẽt, nec ſimul perpetuò ſunt. Quidã vero interpretes hanc verborũ ſeriem ei cenſent pręponẽdam,quæ de differẽtijs inquit, Porrò nõ eſt id ſubſtãtiæ propriũ: ſed & differẽtia ex ijs eſt quæ nõ ſunt in ſubiecto. Oportebat enim,aiunt, cum per hæc, ſubſtãtiæ partẽ nullam in ſubiecto eſſe demõſtraſſet,ſubſtãtiæ autẽ pars ſit & differentia, ita ſubiũgere, non propriũ eſſe ſubſtantiæ nõ eſſe in ſubiecto:quãdoquidem eſt & differẽtiæ. An non verò & ordo hic rectè ſe habet: cum enim neq; ſpecies neq; genera neq; differẽtias quæ partes ſubſtantiarũ ſunt in ſubiecto eſſe oſtẽderit, inferẽdus vniuerſalis quidã ſermo erat: ne partẽ omnino quidẽ ſubſtantiæ in ſubiecto eſſe. Videtur autẽ ei ſermo eſſe non de partibus manu inquã & capite & pede, ſed de intelligibilibus veréq; partibus, vt rationali & mortali: hæc enim partes propriè hominis ſunt: ſiquidẽ ex ijs homo cõſiſtit: ergo de intelligibilibus loquitur rationali atq; mortali. Sunt enim aliæ partes ſenſibiles, intelligibiles alię, nũc vero de intelligibilibus diſputat. Sic enim ordo ſpeculaminis huius locũ opportunum habet. Quoniã enim nõ propriũ ſubſtãtiæ eſt,dixit,nõ eſſe in ſubiecto,quãdoquidẽ & differẽtiæ ex eorũ numero habẽtur,quæ in ſubiecto nõ ſunt, nequis hoc ipſum dixiſſe putaret ꝙ differentiæ ſubſtãtiæ nõ eſſent,quæ propriè ſubſtãtiæ ſunt,ob id ſubiũxit: Ne verò vos turbẽt ſubſtãtiarum partes, vt quę in ſubiecto ſint in totis, alioqui intẽpeſtiuè hoc interiectum ſpeculamẽ videretur, niſi de intelligibilibus eũ partibus loqui, rationali mortalíque acceperimus, quæ propriæ ſunt partes hominis: ſiquidẽ homo ex ijs conſtat. *Non enim ita in ſubiecto ea dicebantur quæ vt partes ſunt in aliquo.* Id eſt accidentia etſi in aliquo eſſe, nõ tamẽ vt pars in toto dicebãtur. Nam ſi quidquid eſt in aliquo, id in ſubiecto neceſſariò eſſet, partes quoq; ſubſtantiarũ cum ſint in aliquo (ſunt enim in toto) in ſubiecto haberẽtur. Nũc vero eſſe in aliquo vniuerſalius cum ſit, aliquod eſt vt in ſubiecto, quoddam vt pars in toto, aliud vero ſecundum alium in aliquo exiſtendi modum.

Ineſt autem ſubſtantijs & differentijs omnia vniuocè prædicari: omnia 16
enim quæ ab his prædicata ſumuntur,aut de indiuiduis prædicãtur,aut de ſpeciebus. A prima nãq; ſubſtãtia nulla eſt prædicatio: de nullo enim ſubiecto dicitur. Secundarum verò ſubſtantiarũ ſpecies quidem de indiuiduo prædicatur: genus vero & de ſpecie & de indiuiduo. Similiter autẽ & differentiæ,& de ſpeciebus & de indiuiduis prædicantur. Et rationem quoque ſuſcipiunt primæ ſubſtantiæ, ſpecierum & generum: & ſpecies generis. quæcunq; enim de prædicato dicuntur,eadem & de ſubiecto dicẽtur. Similiter autem rationem differentiarũ ſuſcipiunt & ſpecies & indiuidua. Vni-

uoca autem ſunt quorum & nomen commune eſt, & ratio eadem. Quare omnia quæ à ſubſtantijs & differentijs ſunt, vniuocè prædicantur.

Competit autem ſubſtantijs & differentijs vniuoce ab ijs dici omnia.

Ad ſecundum conſequens tranſit ſubſtantiæ priore improbato: & nunc peculiare proprium quærit ſubſtantiæ: ſed & hoc ſtatim damnat: ídq; ex eo liquet quòd differentias cõ iunxit: vt non ſoli competere ſubſtantię pateat. Ac prius quidem eiectum eſt, quaſi omni ſubſtantiæ, non ſoli autem inſit: hoc vero, quaſi nec ſoli nec omni conueniat: neq; enim competit primæ, nam ea de quibus prædicetur nõ habet: neq; ſoli, quoniam & differẽtijs. *Omnes enim ab his prædicationes aut de indiuiduis, aut de ſpeciebus prædicantur.* Docet primum quæ nam à ſubſtantijs & differentijs prædicationem admittant: tum ſic vniuocam in ipſis accommodat prædicationem: indiuidua enim, inquit, de nullo dicũtur ſubiecto: ſpecies de indiuiduis: genera de vtriſq;: eodẽ modo & differentiæ de ſpecìebus atq; indiuiduis. Hæc autem & vniuocè de quibus prædicantur dicuntur, nam Socrates & homo eſt, & animal rationale mortale: eſt animal quoq; & ſubſtantia animata, & ſenſus compos. Sed & differentiarum nomẽ rationémq; accipit: dicitur enim rationale, eiúſque finitionem excipit. Rationale enim eſt, id quod vtitur ratione: nam & Socrates hãc rationẽ admittit. Et verò de ſpecie ſimiliter & genus & differẽtia prædicatur vniuocè. Hoc vero etiam manifeſtũ eſt, quæcunq; vniuocè de prædicato dicuntur, ea de ſubiecto quoq; prædicatũ iri. Iure igitur genus differentiáque cum de ſpeciebus prædicentur vniuocè, de indiuiduis quoq;, de quibus & ſpecies, prædicantur: ſpecies autem de ſolis indiuiduis: indiuidua de nullo: quoniam nec ſubiectum eis vllum eſt. Cõtemplare hic porrò quomodo vtilis ei de vniuocis præceptio fuerit: id quod etiam ipſe aperiens inquit: Erant autem vniuoca, ea quorum & nomen commune eſt & ratio eadem. Hinc verò etiam conſidera, quàm apertè differentias ſubſtantias eſſe pronunciet. Si enim quæ ſunt in ſubiecto vel ſolum tribuunt nomẽ, vel neq; nomen neq; finitionẽ: vniuocè autem differentiæ de ſpeciebus prædicantur atq; indiuiduis, ipſæ ergo differentiæ ſubſtantiæ ſunt, & non accidẽtia: competit enim ijs quæ ſubſtantialiter prædicãtur & nomen & finitionẽ ſubiectis tribuere. Cuius igitur rei gratia cum ſuperius diſcernere eas à ſubſtantijs videatur, ijſdem deinceps coniungit? nempe ob eam cauſam quam ſæpe recitauimus, quoniam hic ipſi inquam eò conſilium ſpectat, vt non de omni ſubſtantia, ſed de ſola compoſita doceat, cuius & vulgus hominũ notitiam obtinet. Socratem enim multi nõ modo Socratem eſſe, verum hominem quoq; ipſum, & animal norunt: & verò hominis nomen particularibus tribuunt cõmuniter omnibus: nomẽ quoq; ſimiliter animalis hominibus & equis & reliquis animantibus: ipſius autem per ſe rationalitatis cognitionẽ non habent: ſed quãuis dicant rationale, compoſitum dicũt: rationale enim animal, hoc totũ cognoſcũt. Similiter quoq; in bruto ac cæteris differentijs. Proinde igitur differentias ipſas non planè hoc loco ſubſtãtias eſſe dicit, ſed ipſas quidem vult eſſe ſubſtantias: ac ſuam vbiq; ſententiam detegit. Non eiuſmodi verò ſubſtantias quales compoſitæ ſunt, de quibus hic ei ſermo eſt. Sic ergo & in phyſicis cum triplicem ſubſtantiam prodiderit: materiã & formam: & eam quæ eſt in materia, intelligo, nõ eam quæ eſt ante multa aut in multis: & prẽterea quæ ex vtraq; ſimul & materia & forma conſiſtit, hîc compoſitum ſolum vocauit ſubſtantiam: non autẽ materiam, neq; formam: quoniam nec de ſimplicibus ei ſermo eſt inſtitutus.

Omnis autem ſubſtãtia vĩdetur hoc aliquid ſignificare. in primis igitur ſubſtãtijs indubitabile & verum eſt, quòd hoc aliquid ſignificãt: indiuiduũ enim & vnũ numero eſt quod ſignificatur. In ſecundis verò ſubſtantijs videtur quidẽ ſimiliter propter appellationis figurã hoc aliquid ſignificare, quãdo quis dixerit hominẽ vel animal, nõ tamen verũ eſt, ſed magis quale aliquid ſignificãt. Neq; enim vnũ eſt quod ſubiectũ eſt, quẽadmodũ prima ſubſtantia: ſed de multis homo dicitur, & animal. Non autem ſimpliciter

quale quid ſignificat quẽadmodũ album (nihil enim aliud ſignificat albũ q̃ qualitatem)at ſpecies & genus circa ſubſtantiam qualitatẽ determinãt: qualẽ enim quãdam ſubſtãtiam ſignificãt. Plus autẽ in genere determinatio fit q̃ in ſpecie:dicẽs em̃ animal plus cõplectitur, q̃ qui hominem dicit.

Omnis autem ſubſtantia ſignificare hoc aliquid videtur.

Cum prima duo repudiauerit conſequentia,quę ſunt nõ eſſe in ſubiecto,& omnia vniuocè ab ijs dici,ad tertium proprium tranſiuit,quod eſt hoc aliquid ſignificare. Igitur dictio hoc, ſubiectum ipſi denotat, ſignificatiua enim eſt demonſtrationis. Sic ergo materiam ipſe ſubiectũ in Phyſicis nominat. Ambo enim finita ſunt, & ipſum hoc, quaſi ſub demonſtrationẽ cadẽs:& materia,vt quæ maneat eadẽ, omnibus quæ in ipſa ſunt mutationem patientibus. Siquidem tranſfigurari lebes poteſt & ſtatua fieri : & ſtatua rurſus figurã immutans aliud fieri quidpiã,ęre id nihilominus manẽte quod prius erat q̃ lebes factus eſſet,aut ſtatua,aut quidquam eiuſmodi. Itaq; & ipſum hoc & materiam ſubiecta appellat.Pronomen vero aliquid,non de ſubiecto ſubſtantiam nominat: quoniam permanet,nec quoquam eget,nec eſt in ſubiecto,ſed ipſa ſubiectum omnibus eſt,autórq; vnitatis,hoc eſt vnum ſignificandi,vt hoc lignum,hic homo. Ipſum ergo aliquid, particulare indicat:ambo autem cum dicuntur, hoc aliquid particulare, ſubiectum, indiuiduam inquam ſubſtantiam declarant,vt hunc hominem,aut hoc lignum.In his enim ipſum hoc ſemper fert Ariſtoteles , in indiuiduis inquã quæ apparent ac ſenſibus percipiuntur:quippe hæc ea ſunt,quæ ſola recipiunt indicationem,quæq; ſunt duntaxat ſubiecta omnibus: dictionem autem tale in infinito & vniuerſali vſurpat,iure namque vniuerſale omnium ſimpliciter rationem obtinet. At Plato hoc aliquid in vniuerſali tanquam finitum velut in Ideis neceſſario capiebat , eas enim in primaria eſſentia, ac ſubſtantias eſſe affirmabat: quale autẽ in ſingulari: nã infinita hæc vocabat propterea,ꝙ in ſtatu nõ eſſent,ſed ipſum eſſe in fluxu ac refluxu haberẽt.Recte igitur ambo alio atq; alio propoſito capientes dixere.Porrò & hoc proprium reijcit, quaſi non omnẽ ſubſtantiam quãuis ſolam comitetur. Nam ſpecies inquit & genera,vt homo & animal,hoc quidem aliquid ob ſingularem vocis effigiem ſignificare videntur: cæterum multitudinem magis contentricémq; aliquorum plurium communitatem ac qualitatem quandam referunt,cum communitatẽ particularium ac collectionem declarent . Operæ autem precium eſt quærere, quomodo in ſubſtantia dicat ſignificare & non eſſe,ſi res eſt ſubſtantia: ſignificãtur enim res nec ſignificant.Dicimúſque quòd vocis eſt de re quandoq;, & quòd rei eſt de voce ob mutuũ prædicari complexum:funguntur enim res vocum interim munere, vt non tanquam res ſignificent,ſed tali modo nominentur, vt Socrates ſi ipſum inquirentibus in multitudine ſpectetur.Interdum vero quæ rei ſunt voces obeunt,vt Socrates ambulat, non ꝙ nomẽ Socrates ambulet:vox etenim eſt,vox autem non ambulat, ſed ꝙ res quæ nomẽ eiuſmodi habet,illa ambulet.Sic ergo & hoc loco,propter vocis implicationem,ſubiectũ prædicationem vocis accepit,quod eſt ſignificare: ac nunc præſertim, vbi de ſignificatiuis ſibi vocibus diſputandum propoſuit.Inſtitutum enim eſſe Ariſtoteli diximus,de vocibus, rebus,cõceptibúſq; tractare.Subſtantia igitur vt vox quidẽ,ſignificat,nec ſignificatur,ſunt enim ſignificatiuæ rerum voces:vt res vero ſignificatur,nec ſignificat:nam ſignificantur quidem à vocibus res,ipſæ vero aliorum nõ ſunt ſignificatiuæ. Quẽadmodum autẽ ipſa per ſe ſignificatiua rerũ nomina ſunt,ſi autem parti orationis cuiquã coniungantur,ſignificantur magis ab ea quodam modo,ita etiam hoc loco.vt cũ dixero Socrates,per Socratis nomẽ ſubſtãtiam notaui:cum autẽ Socratẽ philoſophum, vel Socrates ambulat pronũciauero,tunc per philoſophũ, vel per ambulans ſignificatur magis quàm ſignificet nomen.Cæterum & ad hoc animaduerſione opus eſt,indiuiduam Ariſtoteli ſubſtantiã hoc aliquid,vniuerſalem tale appellari : Platoni contra,nec eos mutuò diſcrepare. Vtranque enim hoc aliquid & tale nomines licet,nam hoc aliquid,finitum:tale autẽ,infinitũ declarat.Enimuero in vtraq; & finitũ eſt & infinitum. In indiuidua quidem ſubſtãtia finitum, ipſum numero vnũ:infinitum autẽ,ipſum mutari adeò,vt ſecundum perpetuæ paſſionis

dogma,Heracliti inquam,ne vox quidem de ſeipſo remaneat,vt Socrates. Habet enim eſſe ipſum in fluxu ac refluxu,perinde atq; res naturales aliæ.In ſubſtantia vero vniuerſali finitum eſt ipſum immutabile,vt vniuerſalis hominis,atq;animalis:infinitum,in multitudine errare atque labi.homo enim ſi dixero,ſum particulares omnes cõplexus. *In ſecundis vero ſubſtantijs videtur quidem ſimiliter figura appellationis hoc aliquid ſignificare.* Pronunciatione quidem ſingulariter facta,hoc aliquid ſignificare videntur, cum homo aut animal dixerimus.verũtamen non hoc aliquid,ſed tale hoc eſt ſimilitudinem deſignãt,qua homines quatenus homines ſunt,ſimiles inter ſe habentur,& animalia quatenus animalia. Magis ergo quale quidquam propterea indicat, ꝙ plura vniuerſalis homo indiuidua complectatur. *Non tamen verum eſt.* Quoniam ex eius rei ignorantia quòd non omnis ſubſtantia hoc aliquid connotet,fiunt paralogiſmi hoc eſt deceptoriæ ratiocinationes,qui à græcis Vtines,id eſt nõ aliqui nominãtur:iuxta Homericum Vlyſſem, qui Vtin ſeipſum opportunè appellauit.Vtinis paralogiſmi exemplum:Siquis eſt Athenis,is non eſt Megaris: homo autem eſt Athenis,homo igitur nõ eſt Megaris.homo enim *non eſt aliquis,neq; hoc aliquid ſignificat.Simile huic & illud eſt,Quod ego ſum, tu nõ es. Vt enim verbum aliquis indiuiduam ſubſtantiam declarat,ita & verbum ego.Eſt ergo paralogiſmus in verbo aliquis ſeu quis:nam verbum ſiquis alter vniuerſale eſſe cogit, quod falſum eſt: alter in particulari ipſum capit,& verus tunc ſermo eſt.Nam aliquis homo verbi gratia Socrates aut particularis alius qui Athenis eſt, Megaris non eſt,ne ſit ipſe à ſeipſo diuulſus. Ita ergo dicas oportet,Quiſquis eſt Athenis,is non eſt Megaris,Socrates Athenis eſt, Megaris igitur Socrates non eſt.Itaq; ob id nõ tamen verum eſt dixit:quoniam cum plura ſint ſingularia,genus & ſpecies eorũ ſimilitudinẽ referũt. *Non enim vnum eſt ſubiectum, vel vt prima ſubſtantia.* Quemadmodum vox,quæ ſingularis eſt figuræ, atq;eam ob rem de vno ferri videtur ſubiecto:homo enim ſecunda ſubſtantia atq; animal dicitur,non homines animaliáque. *Non ſimpliciter autem quale quidquam ſignificat velut album.* Quale ipſum communit, atque ab æquiuocatione propter accidentia vindicat,eſt enim differentijs atque accidentibus quale. Qualitatem autem non dicit,qualis eſt accidentis, neque enim ſubiecto accedens illa neq; ab eodem decedens quidquam confert aut nocet . Genera autem & ſpecies,illorum quorum eſſe dicuntur , ac de quibuſcunque prædicentur completiua ſunt, atque vt ipſe ait,qualitatem circa ſubſtantiam determinant,hoc eſt talem aut talem ſubſtantiam determinant,atque diſtinguunt,confuſámque ipſam diſcernunt,ſyncerámque ſeruant eſſentialem cuiuſq; ſubſtantiæ qualitatem . Nam cum contineat ſubſtantia corpus & incorporeum,& hæc confuſa indiſcretáque ſint, harum diuiſio ſpecierum, cuiuſlibet qualitatem ſecreuit.Rurſus cum res plures ambiat corpus,animatum atque inanime confuſa diſcriminat, ac cuiuſq; proprium definit. Similiter & plura complectẽte animato,huius ſpecies proprium ſingulis limitant:eodem & in cæteris modo.Animal enim & planta , quæ ſuorum ſubiectorum genera ſunt , ac ſub animato corpore conſtituta, ſubſtantialem ſpeciebus ſuis qualitatem ſuo ipſorum interuentu decernũt. Ac quónam igitur pacto,inquiunt,prædicari genera & ſpecies in quid eſt dicebantur,nunc vero Ariſtoteles quale ab ijs determinari circa ſubſtantiam affirmat? Dicimúſq; quatenus differẽtijs impertiuntur ſpecies quidem actu,genera autẽ ſiue poteſtate vt placet Peripateticis, ſiue actu ſecũdum Platonicos, eatenus quale dici circa ſubſtantiã definire: in quale enim eſt, prædicãtur differentiæ.Quærẽdum vero eſt,quomodo ſignificare ſubſtantiã dicat,quanquam ſignificatur ea magis,neq; ſignificat. Itaq; ad hoc reſpondemus, vti proditũ eſt ſæpenumero,diſputare de vocib⁹ & rebus & cõceptibus propoſitũ Ariſtoteli eſſe: ſignificat ergo ceu vox,nec ſignificatur ſubſtantia:ſignificatur autẽ vt res,nec ſignificat.A vocibus enim ſignificãtur res,ipſæ veræ ſignificatiuæ nõ inter ſe ſunt. Quẽadmodũ enim nomina ipſa per ſe ſignificatiua ſunt rerũ,orationis autẽ ſi cuipiam parti iungãtur, ſignificãtur magis ab ea quodãmodo,ita & hoc loco,exẽpli gratia cũ Socratẽ dixero,per nomẽ ſubſtãtiã Socratis notaui:cũ vero Socrates philoſophus,vel Socrates ambulãs, tũc ſignificatur nomẽ magis per philoſophum vel per ambulãs q̃ ſignificet.Et nõ ipſum,ſed magis aliud quidquam ſignificat: ſic ergo & hîc , ipſa per ſe res ſi capiatur ſubſtantiæ, nihil ſignificat:

* *Græcè eſt ἄνθρωπος οὗτός ἐστι id eſt, homo ení is eſt. Ita verto nõ hic, quia paulo ante vbi græcè eſt οὗτος, interpres posuit is.*

cum vero complicata voci fuerit,tunc ab illa ſignificatur. *Amplius autem genere quàm ſpecie determinationem facit. Nam qui animal dicit,plus complectitur quàm qui hominem dixerit.* Hoc eſt,etſi ſubſtantia omnis ſecunda ſubſtantialem rerum qualitatem decernit, genus tamē magis vniuerſaliorem communiorémq;,ſpecies particulariorem qualitatem diiudicat.

Ineſt autem ſubſtantijs nihil illis eſſe contrarium.Primæ enim ſubſtan- 18
tiæ quid erit contrarium? vt cuidam homini, vèl cuidam animali nihil eſt contrarium: at verò nec homini nec animali aliquid eſt contrarium. Non eſt autem hoc ſubſtantiæ propriũ, ſed etiam multorũ aliorum,vt quantitati:bicubito enim vel tricubito,nihil eſt contrariũ: at verò nec decẽ, nec alicui taliũ.Niſi forte quis multũ pauco dicat eſſe contrarium,vel magnũ paruo.Determinatorum verò quantorũ nullum nulli eſt contrarium.

Competit ſubſtantijs nihil quoque ipſis eſſe contrarium.

Ad quartum tranſgreditur conſequens tertio quoq; damnato , vt pote ſoli verum nõ omni competente.eſt verò hoc,nihil contrarium eſſe ſubſtãtiæ.Ait enim quíd nam contrarium eſt Socrati,aut alij cuiquam indiuiduo? At vero nec ſecundæ,nam quid homini eſt aut animali contrarium? Verum ſiquis dixerit,quid igitur non aduerſatur ignis aquę, & terra aeri? Dicimus repugnare ſibi hæc mutuò,non qua ratione ſubſtãtiæ ſunt,ſed qua affectæ ſunt qualitatibus.Aquæ enim qualitati frigidæ atq; humidæ calida & ſicca oppoſita eſt ignis:non ipſæ ergo inter ſe pugnant ſubſtantiæ:nam hæc non per tota ſeipſa contraria ſunt,cum non materia & corpore,ſed ſolis obluctentur qualitatibus.Sciendum eſt rationabile irrationabili non eſſe contrarium.Siue enim negatio rationabilis irrationabile ſit,negatio contrarium non eſt:ſiue poteſtatem affirmandi habeat,quæ ſpeciem quandam à rationabili diuerſam declaret,ne ita quoq; cõtrarium eſt rationabile irrationabili, cum in eſſe ipſum deducat atq; conſtituat.Sed neq; ſpecies alia contraria eſt ſpeciei,verũ contrarietates circa differentias & qualitates viſuntur. Forſitan vero ſiquis diligẽter exquirat,ne penes quidem qualitates obiectam eſſe igni aquam profitebimur: ſidunt enim circa idem ſubiectum contraria,atq; ita aduerſum ſe inuicem bellum ſuſcipiunt, vtroq; ſtudente eorum ſubiecto potiri,& alterum expellente.Ignis ergo ſi caliditati frigiditatíq; alternis non ſubiacet,ne propriè quidẽ caliditati vt in igne, oppoſitũ quidquam eſſe cenſebimus,ſi oppoſita vt dicimus circa idem pugnãt ſubiectum.Hoc vero etiam reprobat, perinde quaſi non vni ſubſtantiæ quãuis vniuerſæ competat.Quanto enim nihil,inquit, contrarium,vt denario,vel bicubito:nam quid eſſe ijs poteſt contrarium? non enim quadricubitum contrarium bicubito,corrumpunt enim ſe mutuò contraria:hic vero incrementum bicubiti eſt quadricubitum. *Niſi quis multum pauco, vel magnum paruo dicat eſſe contrariũ.* Atqui ne hæc quidem contraria ſunt quanta:quoniam ex multis paruis magnum,& multum ex pluribus paucis conſiſtit,atq; hæc paulopoſt non quanta eſſe,ſed ad aliquid oſtendet. Veruntamen etſi quis conceſſionem inquit dederit,vt quanta ſint,nihil tamen noſtra intererit.Satis enim nobis eſt ad demonſtrandum non vni ſubſtantiæ nullum cõtrarium ineſſe,ſi quantis etiam definitis id competat.Definita quanta ea nominant,quę circũſcriptam quibuſdam finibus habent quantitatem , neque relatione ad aliud dicuntur: paruum autem & magnum,& multum & paucum ſunt infinita.

Videtur autem ſubſtantia nõ ſuſcipere magis & minus. Dico autẽ,non 19
quoniam ſubſtantia non eſt à ſubſtantia magis & minus ſubſtantia (hoc enim dictum eſt quoniam eſt) ſed quoniã vnaquæq; ſubſtantia hoc ipſum quod eſt,non dicitur magis & minus:vt ſi eſt hæc ſubſtãtia,homo,nõ erit magis & minus homo,neq; ipſe ſeipſo,neq; alter altero.non enim eſt alter altero magis homo,ſicut eſt albũ alterũ altero magis & minus albũ:& bonũ alterũ altero magis & minus bonũ. Sed & ipſum ſeipſo magis & minus

dicitur : vt corpus cũ ſit album,magis nunc albũ eſſe dicetur quàm prius: & cũ calidum ſit,magis & minus calidũ dicitur.Subſtãtia vero nõ dicitur magis neque minus. Nihil enim homo magis nunc homo q̃ prius dicitur, neq; aliorum quicquam quæcunq; ſubſtantiæ ſunt. Quapropter non recipiet ſubſtantia magis & minus.

¶ *Videtur porrò ſubſtantia non accipere magis & minus.*

Ad quintum conſequens acceſſit, à ſubſtantia inquam non admitti magis & minus. Verbum autem videtur nõ quod fictum eſt hoc loco ſignificat, ſed quod perſuadere nõ aliter queas,quódq; deponi non poteſt.Proprium vero hoc ex proxime antecedẽti ſequitur,ortúmq; ex illo obtinuit, ſubſtantiæ contrarium nihil eſſe dicente. Fieri enim magis & minus in ijs natura comparatum eſt in quibus & contrarietas, ídq; non ſimpliciter:nõ enim contraria quæcunq; magis & minus accipiunt,ſed quæ miſceri inter ſe naturâ apta ſunt.Par enim & impar quãquam ſunt contraria,magis tamen & minus nequaq̃ admittunt:quoniam nec miſceri naturâ ſunt idonea.Neq; enim eſt par magis par pari:neq; impar impari magis impar . Album autem albo magis eſſe album dicitur : quoniam nigro ſuapte miſceri poteſt naturâ: dicitur enim id magis album , quod à nigro longius diſtat: minus vero album,quod plus cum nigro mixtionis accepit.Et vero aliquid ſeipſo magis album dicitur,aliquid enim enim cum album nunc ſit,fit ſeipſo albius, diſcreto quod in ipſo immixtum eſt nigro:ſimiliter & in alijs.Ergo ſi nec omnia magis minúſq; admittũt contraria,ſed ea duntaxat quæ miſceri naturâ valent,multò minus ea quæ ne vllum quidem prorſus habent contrarium magis & minus recipient.Sciendum cõtraria ipſa fines eſſe, magis autem & minus viam ad contraria. Ac contraria quidem vocat album & nigrum:magis vero & minus, mutationem ex albo in nigrum, vel ex nigro in album,quæ non tota ſimul fit,ſed via quadam per acceſſionem vtitur,facta ex albo vel nigro in alterum tranſformatione. Itaque contraria vbi ſunt, ibi aduerbia magis minúſq; ſunt:& vbi non ſunt contraria,neq; magis & minus:vbi item magis minuſq;,ibi contraria:& vbi magis minuſq; non ſunt,nec ibi contraria habentur, quatuor enim ſemper hæc inter ſe contingunt.Verum hæc ex Platonis ſententia medio prædita dicuntur:neq; enim ſemel natura à contrario in id quod planè contrarium eſt tranſilit,ſed via vtitur quadam,fítq; minus album,& minus adhuc,atq; ita nigrum.Ariſtoteles verò non omnia inquit contraria medijs diſtincta eſſe, vt Plato affirmabat : ſed nouit etiam, quæ medio careant: tametſi duo duntaxat,par & impar,& morbum ſanitatémq;.Quidam vero & horum media eſſe arbitrantur . Paris enim qui in duas æquales portiones diuiditur , & imparis qui in duos pares non ſecatur numeros, tres medij habentur, pariter par, qui vſque ad vnitatem æquali partitione diſſecatur,vt numer⁹ trigintaduo,in ſedecim,& octo,& quatuor,& duo, & vnum:& impariter par, qui multis parib⁹ acceptis ſectionibus in numerum imparem deſinit,vt quadragintaocto,in vigintiquatuor, & xij. & vj. & in tria numerum imparem terminat:& pariter impar, qui in duas quidem partes æquales diſiungitur , cæterum eius ſegmẽta protinus imparia ſunt,vt decem & octo in ix.& ix. diductus. Ac ſunt quidem, vt aiunt,paris & imparis ij,quos diximus medij:morbi vero ac ſanitatis, conualeſcentia. Si magis & minus non admittit ſubſtantia,quomodo in libro de generatione atq; interitu minus calidum aërem dicit vt igni collatum?calidior eſt enim ignis aëre, & aër quàm aqua humidior,& aqua frigida magis quàm terra,& terra igne ſiccior:hæ autem ſubſtantiæ ſunt. Ac dici poteſt , qualitates has rurſus non ceu ſubſtantias magis ac minus ſuſcepiſſe,quælibet enim in proprio ſubiecto plurima eſt:vt accidentia verò intendi ac remitti.Nam quod minus eſt,ſi in id quod eſt magis euadat, non ſpeciem aboleuit: aër autem acceptis ignæ caliditatis menſuris aër non manſit.Illud verò tenendum eſt, non eſſe in ſolis accidentibus magis & minus, cum demutationem ſpeciei non faciunt: viuit enim magis mens quàm anima.Enimuero non omninò fit magis & minus ob contrarij mixtionem:tametſi nanq; immortalis anima eſt, minus tamẽ viuit quàm mens. Compoſita

quoq; eſſent hoc pacto quatuor elementa. Erit enim humidus ignis, vtpote minus ſiccus q̃ terra, & aqua ſicca, quaſi in humiditate aëri cedat, atq; in alijs ſimiliter elementis. ſed omnis hæc ſubſtantia formam obtinuit, & ſunt remiſſiones formarum. Sicut & luna, quę cum quintę ſit eſſentiæ vltima, quamuis ſub ſeipſa contentorum particeps non ſit, habet tamen quicq̃ in ſe forma diuerſum, vt facies ea declarat, quæ in ipſius medio plenilunijs apparet, & color qui in eius deliquijs carbonis ſpecie cernitur, qui diſſimilaris eſt. Horum enim neutrũ terræ mixtione, ſed quintæ eſſentiæ luciditatis remiſſione ꝓuenit. *Dico autẽ nõ ſubſtantiam ſubſtantia nõ eſſe magis minúſq; ſubſtantiam.* Quoniam enim ſuperius primã ſecunda magis eſſe ſubſtantiam dixit, (eſt enim inquit ſubſtantia quæ potiſſimum & primò & maximè dicitur) & ipſius ſecundæ ſpeciem magis genere eſſe ſubſtantiam, cũ ait ſecundarum vero ſubſtantiarum magis ſubſtantiam eſſe ſpeciem quàm genus, meritò in quæſtionem vocat, quomodo cum ſubſtantiam ſubſtantia magis eſſe ſubſtantiam ſupra cõmemorauerit, nunc dicat, videtur autem ſubſtantia non admittere magis & minus. Cui ſolutionem inferens inquit, non dictum eodem eſſe modo magis quidem & minus eſſe illic, hic vero non eſſe. Ibi enim ſubſtantiarum collationem ordinémq; ſecundum profunditatem contemplando, primam ſecunda magis ſubſtantiam eſſe pronũciabat, quaſi hominum magis pluralitati cognita eſſet: & inter ſecundas ſpeciem magis, ꝙ primæ ſpecies ſit quàm genus propinquior. Hic verò ſecundum latitudinem collationem faciens, indiuiduum inquit, neq; ipſum ſeipſo, neq; aliud alio magis eſſe minúſq; ſubſtantiam. Socratem enim neq; ipſum ſeipſo magis & minus quis hominem dixerit, neque Socratem Platone magis hominem. Sed neq; ſpecies vel ipſa ſeſe, vel alia quàm alia magis ſubſtantia eſt, vt homine equus nihilo eſt magis ſubſtantia: eodem pacto & in generibus. Enimuero proprium hoc ſeu conſequens, omni quidem non ſoli tamen cõpetit ſubſtantiæ: etenim nõ admittit quantum magis minúſque, quoniam nec quodpiam habet contrariũ. Sed neq; par neq; impar, quoniam ne miſceri quidẽ hæc ſuapte poſſunt natura. Quamobrem verò quemadmodum in proprijs alijs ad finem aiebat, non eſt autem hoc ſubſtantiæ proprium. Quoniam licet omni verbi gratia, inſit, nõ ſoli tamen: aut ſoli quidem, ſed non omni. non ſic & hoc loco fecit, dixítq; nõ proprium hoc eſſe ſubſtãtiæ quãuis omni conueniat, ſiquidem quãtum magis minúſq; non ſuſcipit. Dicimus hoc, propterea ꝙ ex dictis pateret, omiſiſſe: quoniam enim coniuncta vt dixi ſunt conſequentia, planéque id quod eſt non eſſe aliquid magis & minus, ex eo quod eſt non habere contrarium ſequit, paulo vero prius nec ſubſtantiæ nec quanto aliquod ineſſe contrarium oſtendit, id nobis colligendum ac ſubaudiendum reliquit, nempè non ſolius eſſe ſubſtãtiæ magis ac minus non admittere, ſed etiam quanti.

Maximè verò proprium ſubſtantiæ eſſe videtur, quod vnum, & idem numero eſt, contrariorum ſuſceptiuum eſſe: vt in alijs quidem nõ habet quiſquam quod proferat tale, quæcunq; non ſunt ſubſtantiæ: quod cum ſit vnum numero ſuſceptibile contrariorum ſit: velut color, qui eſt vnus & idem numero, non dicitur albus & niger: neq; eadem actio & vna numero, praua & ſtudioſa. Similiter autem & in alijs quæcunq; non ſunt ſubſtantiæ. Subſtantia verò cum vnum & idem numero ſit, ſuſceptiua contrariorum eſt: vt quidam homo cum vnus & idem ſit, aliquando quidem albus, aliquando fit niger: & calidus, & frigidus: & prauus, & ſtudioſus: in alijs autem nullis aliquid tale videtur. Niſi quis forſitan inſtet, dicens orationem & opinionem, contratriorum eſſe ſuſceptibilia: eadem enim oratio vera & falſa videtur eſſe: veluti ſi vera ſit oratio ſedere quendam, eo ſurgente ipſa eadem falſa erit. Similiter autem & de opinione: ſi quis enim verum putet aliquem ſedere, ſurgente eo falſo putabit eandem de ipſo opinionem ha- 20

bens.Sed ſi quis & hoc ſuſcipiat, tamen modo differt. Nam ea quæ in ſubſtantijs ſunt,ipſa quidem mutata,ſuſceptibilia ſunt contrariorum.Frigidũ enim ex calido factum,mutatum eſt(alteratũ enim eſt)& nigrum ex albo & ſtudioſum ex prauo.Similiter autem & in alijs vnumquodq; eorum mutationem ſuſcipiens, ſuſceptibile contrariorũ eſt. Oratio namq; & opinio ipſa quidem immobilia omnino perſeuerant:cum verò res mouetur,contraria circa ipſa fiunt.Oratio namq; eius quòd ſedeat aliquis permanet eadem:cum verò res mota ſit,aliquando quidem vera,aliquando autẽ falſa dicitur.Similiter autem eſt & in opinione.Quapropter ſaltem modo proprium ſubſtantiæ eſt, vt ſecundum mutationem ſuiipſius ſuſceptibilis ſit cõtrariorum.Si quis autem recipiat etiam hæc, orationem & opinionem ſuſceptibilia eſſe contrariorum,non eſt hoc verum.Oratio nanque & opinio non in eo quòd ipſa aliquid recipiant, contrariorum ſuſceptibilia eſſe dicuntur: ſed eo quòd circa alterũ aliqua paſſio facta ſit. Nam in eo quòd res eſt aut non eſt, in eo etiam oratio vera vel falſa eſſe dicitur : non in eo quòd ipſa ſuſceptibilis ſit contrariorum. Simpliciter enim à nullo neque oratio neq; opinio mouetur, quapropter nõ erunt ſuſceptibilia cõtrariorum:cũ nulla contrarij ſit paſſio in eis facta. Verum ſubſtantia in eo quòd ipſa contraria recipiat,in hoc ſuſceptibilis eſſe contrariorum dicitur: languorem enim & ſanitatem ſuſcipit:& candorem & nigredinem:& vnumquodque talium ipſa ſuſcipiendo, contrariorum ſuſceptibilis eſſe dicitur. Quare proprium erit ſubſtantiæ, cum vnum & idem numero ſit, ſecundum ſuiipſius mutationem, ſuſceptibilem contrariorum eſſe. De ſubſtantia quidem hæc dicta ſint.

Maxime vero proprium eſſe videtur ſubſtantiæ, quod idem vnúmque numero eſt, viciſſim id capax eſſe contrariorum.

Sextum hoc conſequens proprium aſſignauit ſubſtãtiæ,quod & inter cætera præcipuũ habet, id inquam q̃ vna numero ac eadem manens, cõtrariorũ ſit capax.Socrates enim vnus idémq; permanens,modo caleſcit,modo frigeſcit: & in qualitatibus ſimiliter alijs, reliquíſque accidentibus. Hoc autem ſoli competit ſubſtantiæ, verum non omni:aliud enim præter ipſam nihil,vnum idémq; manens numero, naturâ eſt aptum cõtrarijs excipiendis,accidentia inquam (ab ea enim vbi diſceſſeris, accidentia omnia ſunt) neque enim prorſus naturâ comparatum eſt accidens accidenti ſubijci,vt illi exiſtendi primordium præſtet. Non enim ſubiacet album nigro vel calido, neq; id genus alicui,eadem & in alijs accidentibus ratio eſt : ergo nec capax eſt contrariorum: competit igitur hoc ſoli quidem,non tamen omni:nam ſecundæ id nequaquam cõuenit:neq; enim vnũ idémq; numero dici propriè vel genus vel ſpecies poſſit, cum propriè vnum numero circa individua ſpectetur. Præterea quamuis vnum ſit ſpecies,non tamen eſt contrariorũ capax, neq; enim corpus eſt,vt caliditatem vel frigiditatem vel eiuſmodi quicq̃ accipiat:ſimiliter nec genus:ſed hæc ſanè effectiua eſſe contrariorum,aut diuidi in contraria dicuntur, mortale inquam & immortale;rationale,atque irrationale.At ne contraria quidem hæc ſunt,ſiquis acrius inſpexerit.Corrumpuntur enim inter ſe contraria : hæc autem mutuò ſe potius conſtituũt,quàm corrumpant:ſimpliciter enim rationale atq; immortale bruta & mortalia promunt in naturam. Quid ergo ſi non omni ineſt ſubſtantiæ, id eius maximè proprium eſſe arbitratur? Dicimus itaq; cum prodita ſex quædam velut propria ſubſtantiæ ſint,primum,quartum,quintúmq; eſſe quæ omni ſubſtantiæ non tamen ſoli cõ-

peterent,nõ eſſe inquam in ſubiecto,quod differentiæ quoq; inerat:& quartum,nihil eſſe illi contrarium,quod & quantis aderat:præterea & quintum,non admittere inquam magis & minus,quod & ipſum ſuppetebat quantis. At ſecundum,quod erat ſubiecta ijs omnia dici vniuocè,neq; omni competere.Nec enim conuenit primæ,neq; ſoli, quãdoquidem & differentijs.Tertium autem,quod eſt,hoc aliquid ſignificare: & ad hoc,ſextum, vnum inquam idémq; numero manens capax contrariorum eſſe,ſoli ſubſtantiæ inerat, quamuis non omni.Ergo ne vnum quidem ex quatuor iure approbat, quoniam non ſoli inerat.Nemo enim quod & alij competit, id eſſe alicuius dixerit proprium, tametſi omni adeſt ſubiecto: ſed magis quod ſoli quãquam nõ omni. At cur duorum tertij & ſexti, ſextum anteponit?quoniam illud, quod eſt ſignificare hoc aliquid, id eſt ſingularem numerum,ſecundæ ſubſtantię ſola voce conuenire videbatur:hoc verò re ipſa videtur congruere. Quocirca vt omni quoque ſubſtantiæ aſſignatum cohærere proprium oſtendamus,hoc pacto immutatis parum philoſophi verbis dicamus. Maximè verò proprium ſubſtantiæ eſſe videtur, indiuidua quæ ſub ea continentur, viciſſim capacia eſſe contrariorum. Sic enim & de omni ſubſtantia proprium hoc prædicabitur, neque aliorum vlli congruet prædicamentorum: nam nec quanti indiuidua, verbi gratia decem: nec qualis, vt in hoc lapide album, capacia ſunt viciſſim contrariorum. Verbum viciſſim adiectum eſt, quoniam non dealbatur ſimul ac denigratur Socrates: nec ſimul ægrotat ſanitatéq; fruitur. Verba autem adiacent illa,vnam eandémq; numero,quoniam numerus quoq; contraria par & impar admittit:non vnus tamẽ numero,ſed ſpecie vnus: quãdo ne vt in numero quidẽ conſiſtit par & impar, ſed vt in materia,quæ poteſt in par atq; impar diuidi.Nam cubitale lignum & in par & in impar ſecatur,& pares equi poſſunt impares reddi alterius additione. Et vero corpus quamuis contraria admittat, vt album & nigrum,nõ vnum tamen numero,ſed ſpecie eſt vnum. Sedenim in Ariſtotelica ipſa dictione id quod dicitur contemplemur. *Maxime vero proprium eſſe videtur ſubſtantiæ,quod idem vnúmque numero eſt, viciſſim id capax eſſe contrariorum.* Nam vnum quidẽ numero,vt idem ſeruetur ſubiectum: idem verò,ne ſecundum ſubſiſtentiam mutetur, fit enim color ex albo niger,mutationem ſuſcipiens eſſentiæ: nam ſubſiſtentiam in eo quod album eſt propriam obtinet.Itaq; ſi in nigrum mutetur,ſecũdum ſubſiſtẽtiam mutatus eſt. At Socrates vnus & idem manens quandoq; calidus,quandoq; frigidus fit:& in alijs ſimiliter. Capax autem contrariorum,vt excipiendorum viciſſim contrariorum facultatem oſtẽdat. non enim excipere contraria, nam eſſent in eodem pugnantia,ſed capax dixit, quò, vt expoſui,facultatẽ indicaret.In alijs autem prædicamentis nihil eiuſmodi videtur.Sed rogabit quiſquam fortaſſis, Quid ergo? an coruus hic eſt capax albedinis, vel olor nigredinis?quomodo igitur eſſe capax dixit cõtrariorum? Sed reſpõdemus,à ratione haudquaq̃ fore alienã in coruo aliiſq; innumeris dubitationẽ, ſi capacem eſſe omnẽ ſubſtantiã contrariorũ omniũ dixiſſet.Neq; enim nigra fieri valet ceruſſa,ſi maneat ceruſſa: neq; ignis ſi ignis maneat,capax frigiditatis humiditatiſve eſt:nec aqua,nec terra leuitatis:nunc vero non omnium, ſed ſimpliciter contrariorum dixit. Quamobrem etſi coruus quoq; albedinem non accipiat,aut olor nigredinem,tamen caliditatem, frigiditatem,ac cæteras contrarias qualitates admittunt. Et ignis licet non frigiditatem vel humiditatẽ vel quid ei contrarium ſuſtineat, lationem tamen deorſum capit violentam, cũ ſurſum ferri ſua-

pte natura incitetur. Quid vero de ſole & luna ac ſimpliciter cœleſtibus dixerimus? horum enim quoduis cum numero vnum idémq; ſit, tamen contrariorum capax non eſt, niſi contrarias quis & hic ceperit motiones, quoniam ab ortu quidem motu feruntur cũ vniuerſo, per ſe vero ipſa contrario cientur. In ſeptem autem errantibus, ab auſtralibus quoq; regionibus ad aquilonias,& ab ijs rurſus ad auſtrales tranſitũ ceperis licet:in eámq; contrarietatem qua à terra longius recedunt, ac prope eandem iter tenent:nec non qua congrediũtur,digrediuntúrq;.In luna autem,& eius illuſtrationes & deliquia. Quò fit vt ſphæra ſola immobilis, non capax contrariorum eſſe videatur. Aliter quoq; reſpondeas. Supra diximus ineſſe hoc quidem ſubſtantiæ,verum non omni:neq; enim ſpeciebus cõpetit ac generibus,ſed quæ ſub ijs continẽtur indiuiduis. Vnica vero ne omninò generis

quidem vel ſpeciei cuiuſpiam ſunt indiuidua,vt ſol & luna:& verò cælum prorſus vnicũ quoddam eſt. Non ergo ſermo arguitur Ariſtotelis,etſi capacia cæleſtia nõ ſint cõtrariorum:nam de indiuiduis quæ ſub generibus ſpeciebúſque comprehenduntur,non de omni ſubſtantia agitur. Diximus item hoc ſoli ſubſtantiæ, quamuis non omni congruere: quanquam ne indiuiduis quidem ineſt vniuerſis,vt quidam putarunt, propter cycnum qui album non mutat.Verum tametſi oppoſitionem hanc non admittat,ſuſcipit tamen vt dictum eſt oppoſitionem aliam,quæ eſt calidi & frigidi,humidíq; ac ſicci.Secundæ autem ſubſtantiæ,vt quę ſunt immutabiles,non recipiunt contraria:ſimiliter & cæleſtia cũ ſint immutabilia,quatenus talia ſunt,contraria non admittunt.Quidam verò difficultatem proponunt,nempè vniuerſalem hominem,ſi mutabilis ſit,capacem contrariorum: ſin non mutabilis,deum,quod abſurdum eſt,fore. Dicimúſq; conſtitutiuis eius partibus eſſe immutabilẽ,vt animali,rationali,mortali. Homo enim nullus, cũ animal ſit,ſit nõ animal:aut cum rationalis exiſtat,expers euadit rationis:aut mortalis immortalitate frui tur.Sic enim & Plato opinatur,qui immutabilem eſſentia,actione vero mutabilem eſſe rationalẽ animam aſſerit. *Niſi quis forſitan inſtet, ac orationem opinionémq; eiuſmodi eſſe dicat. Nam oratio eadem & vera & falſa eſſe videtur: vt ſi vera ſit ſedere aliquem, vbi is ſurrexerit,eadẽ falſa erit oratio.Eodem modo & de opinione. Siquis enim vere opinetur ſedere quempiam, vbi ipſe ſurrexerit,falſo opinabitur is qui eandem de ipſo opinionem habet.* Quæſtionem quandam aduerſus ſe ipſe in medium adducit,quam ab aliquo adduci par erat:eíq; quoad fieri potuit ſolutionẽ affert.quiſquam enim dubitaſſet,quomodo ſolius dicat ſubſtantiæ proprium eſſe,oportere,quę idẽ vnũq; numero eſt,capacem eam eſſe contrariorum. Nam ecce & pronunciatiua oratio, & opinio,quarum oratio tum pronunciatiua tum animo concepta quantum eſt,opinio autem quale,cum vnum idémque maneant,capaces veritatis ſunt & falſitatis. Quæ enim dicit oratio Socrates ſedet,ſi forte ſedeat Socrates, vera:rurſũ ſi ſurrexerit, hæc eadẽ falſa eſt. Similiter & opinio de Socrate ſedente, ſi eum ſedere cõtingat,recte ſentit: ſi ſurrexerit, eadem falſò exiſtimat.Itaq; eadẽ oratio, atq; opinio eadem, cum vnũ idémq; maneant, capaces ſunt veritatis falſitatíſq;. Solutionem igitur quæſtioni bifariam infert, tum per fiduciariam reprobationem(ſic enim eam voco quam græci ἀνυπαιρέσιαν nominant)tũ per inſtãtiam,quam ijdem græci ἔνστασιν appellant. Eſt ergo fiduciaria reprobatio,cum id quod obijcitur admittentes,oſtendimus, quanquam ita res habeat, ei tamen quod dicimus nihil officere. Inſtantia vero, eſt cum nihil omnino quæſtioni cedimus, ſed ipſam ſubuertimus,perinde quaſi non ita vt eſt propoſita,habeat: ac primum quidem per fiduciariam reprobationem ſoluit,ſic inquiens: *Siquis autem hoc etiam admiſerit,modo tamen differt. Nam quæ ſunt in ſubſtantiarum genere,cum mutentur ipſa, capacia ſunt contrariorum. Mutatum nanque eſt frigidum ex calido factum.* (*Alteratum enim eſt*) *& nigrum ex albo, & ſtudioſum ex vitioſo.Eodem pacto & in quouis aliorum ipſum mutationem ſuſcipiens contrariorum eſt capax. Oratio autem atq; opinio ipſa quidem immobilia vſquequaq; omnino permanent,at res cum mouetur fit circa ea contrarium.* Si verò etiam inquit orationem eſſe concedemus contrariorum receptricem, non eodem tamen modo quo ſubſtantia ſuſcipiet contraria.Nam ſubſtantia quidem motum ipſa concipiens ex calida frigida fit, & nigra ex alba:in cæteris quoq; contrarijs eodem modo:at manens immobilis oratio,eo ꝙ mota res ſit,veritatem accepit falſitatémq;.Nam cum ſedeat Socrates,oratio quæ ſedere eum dicit vera fit:vbi vero ſurrexerit,falſa: eſt ergo Socrates is qui mouetur,oratio autem manet immobilis:Idq; merito,nam neq; in ſolis orationibus,neque in ſolis rebus veritas mendaciúmque eſt, ſed in verborum cum rebus cohærentia. Quemadmodum enim calceatio neq; in ſolo pede, neq; in calceo, ſed in calcei ad pedẽ concinnatione ſpectatur:ſic veritas quoq; in verborum cum rebus cõuenientia. Eadem & de opinione dicemus:nam manens & illa immobilis, re cõmota, vel vera vel falſa dicitur.Modo igitur quodam hoc proprium ſubſtantiæ eſt: ſiquidem alio modo cõceptrix eſt contrariorum ſubſtantia,alio oratio atq; opinio. *Quòd ſiquis receptiua contrariorum eſſe opinionem orationémq; admiſerit, hoc verum non eſt.* Ac per fiduciariam quidem reprobationẽ hoc pacto:per inſtantiam verò ſic dubitationẽ ſoluit,hoc autem verum non eſt,id eſt dicere ab oratione vel opinione admitti contraria verum non eſt.*Simpliciter autem à nullo neq; oratio*

mouetur neq; opinio. Quapropter non erunt ſuſceptiua contrariorum, cum nullus in ijs affectus prouenerit. Nam ſubſtantia in contrarijs excipiendis motu cietur qualitati conueniente: horum vero neutrum ab altero mouetur. Siquidem neq; oratio cauſa eſt rei mutandæ atq; in contraria dimouendæ, neq; res mota quicquã ſecum orationis commouit: nam manſit eadẽ immobilis oratio, nec quicquã perpeſſa eſt. Afficiuntur autem quæ capacia cõtrariorum ſunt, cum ſit affectus mutatio in contraria: at quæ afficiuntur mouentur: nam motus eſt ipſe affectus. Si ergo non permanet pronũciatiua oratio, ſed ſimul ac dicta eſt, etiam deperijt, conſtat nec eam moueri: quomodo enim quod non eſt mouebitur? niſi moueatur, neq; afficitur: niſi afficiatur, neq; admittit contraria. Sed ab oratione ſanè fatebimur quę eadem ſpecie, non etiam numero ſit contraria excipi: eodem pacto & de opinione dicemus. *Quocirca proprium fuerit ſubſtantiæ, vt eadem atq; vna numero capax contrariorum ſecundum ſuam ipſius mutationẽ ſit.* Cum orationem non vnã eandémq; manentem contrariorũ receptricem eſſe oſtenderit, q; ſoli hoc inſit ſubſtantiæ, per hæc ſermonem cõcludit. Decentérq; verba illa, ſecundum ſuam ipſius mutationem, appoſuit. Non enim oratio inquit atque opinio, contraria ſui mutatione, ſed eò quòd res immutetur, accipiunt: at ſubſtantia ipſa cum penes qualitatem mutetur, receptrix facta eſt contrariorum. Vnum autem numero dixit, quoniam numerum vt materiam intelligamus oportet: contrarietatéſque circa hanc fieri, nempè parium atq; imparium.

DE QVANTO.

QVanti autem aliud quidem eſt diſcretum, aliud autem continuum. 21
& aliud quidem ex habentibus poſitionẽ ad ſeinuicem in ipſis partibus conſtat, aliud autem ex non habentibus poſitionem. Eſt autem diſcretum quidem, vt numerus, & oratio. continuum vero, vt linea, ſuperficies, corpus: amplius autem præter hæc, locus & tempus. Partium etenim numeri nullus eſt communis terminus ad quem copulẽtur partes eius: vt quinque ſi ſunt denarij partes, ad nullum terminum cõmunem copulantur quinque & quinq;: ſed ſemper diſcreta ſunt. Et tria & ſeptem ad nullum cõmunẽ terminum copulantur: neq; omnino habeas in numero cõmunẽ terminum partium accipere, ſed ſemper diſcretæ ſunt. Quapropter numerus quidem diſcretorum eſt. Similiter autem & oratio diſcretorum eſt. Quòd etenim quantũ ſit oratio, manifeſtum eſt: mẽſuratur enim ſyllaba breui & longa: dico autem cum voce orationem factam: ad nullũ enim cõmunem terminum particulæ eius copulantur. Non enim eſt communis terminus, ad quem ſyllabæ copulẽtur, ſed vnaquæq; diuiſa eſt ipſa ſecundũ ſeipſam. Linea vero continua eſt: eſt enim ſumere cõmunem terminum punctum, ad quem partes eius copulentur: & ſuperficiei, lineam: plani nanq; partes ad aliquem cõmunem terminum copulantur. ſimiliter autẽ & in corpore habeas ſumere cõmunem terminũ lineam vel ſuperficiem, ad quam corporis partes copulantur. Eſt autem talium & tempus & locus. Præſens enim tempus copulatur ad pręteritum & ad futurũ. Rurſus locus continuorum eſt. Locum enim quendam partes corporis obtinent, quæ ad communem terminum copulantur. Ergo & loci partes quæ obtinent ſingulas corporis partes ad eundem communem terminũm copulantur, ad quem & corporis partes. Quapropter continuus erit & locus: ad vnum enim communem terminum eius partes copulantur.

Quanti verò alterum diſcretum eſt, alterum continuum.

Cuiúſnam rei gratia præpoſita ſit prædicamẽtis omnibus ſubſtantia iam ſupra enatrauimus, ſedem autem ſecundam obtinet in prædicamentis quantum pluribus de cauſis. Ac primum quidem, quòd quanti in ſermone de ſubſtantia meminit, cum dixit non eſſe proprium ſubſtantiæ, nihil eſſe ei contrarium, ſiquidem eſt & quãti: ne igitur diu nos quanti naturæ ignaros relinqueret, protinus de hoc poſt ſubſtantiam verba facit conſultò. Deinde verò, quoniam quantũ ſecundum ſibi locum in rerum natura vẽdicat. Prima enim materia, vt ſæpe proditum eſt, cũ incorporea, informis, infiguratáq; ſit, prius in molem elata quantitatẽ conſequitur, ac tres dimẽſiones capit, fítq; triplici præditũ diſtantia, quod ſecũdũ ſubiectum Ariſtoteles nominat: tũ ſic qualitates ſuſcipit, & fit cõpoſitum, facítq; eleměta: verbi gratia quod trino conſtat ſpacio, caliditate frigiditatéq; accepta fit ignis: frigiditate autẽ & humiditate, fit aqua: ſimiliter & reliqua. Secũdũ igitur locũ in ijs quæ ſunt, iure obtinet quantũ. Quale vero in ijs quæ ſunt, tertium poſſidet. Quartũ quæ ad aliquid pertinent: ſiquidem reſpectus quidam vtriuſq; prædicamenti ſunt, quæ ad aliquid referuntur. Et quoniam cæteris ſublatis, mente concipere potes naturale corpus: ſi deſit dimenſio, ne corpus quidem complecti animo valeas. Locus autem & tempus & reliqua compilata inde ſunt. Tertia cauſa eſt, quoniam ſubſtantia in primam ac ſecundã diuiditur, primum autem & ſecundum numeri eſt, numerus verò quanti, meritò locus quanto poſt ſubſtantiam deſtinatus eſt. Et aliter. Ipſum quærere prius, quanti eſt. Rurſus numero vtitur definitio corporis, cum inquit quod triplici conſtat dimenſione, corpus autem ſubſtantia eſt: numerus, quanti. Itaq; ſermonem de quanto iure facit Ariſtoteles omnibus de cauſis ſecundum. Diuidit verò quantum in continuum atque diſcretum. Eſt porrò continuum quantum, quod vnitas habet partes, atque inter ſe cohærentes: diſcretum, quod econtrario ſe habet, quod partes inquam à ſe inuicem obtinet diſiunctas. Quanti continui quinq; ſpecies enumerat, lineam, ſuperficiem, corpus, locum, tempus: diſcreti duas, numerum, orationémq;. Cęterum gratia eorum qui geometrię initiati non ſunt, de his opus eſt pauca dicere. Sciendum igitur, id à geometris corpus vocari, quod tres obtinet dimenſiones, longitudinem, latitudinem, profunditatem: corpus autem aut finitum eſſe, aut infinitum. Sed non eſſe infinitum demonſtratum Philoſopho eſt in naturali auſcultatione: ergo neceſſe eſt finitum ſit corpus omne, ſi infinitum eſſe nullum poſſe oſtenſum eſt. Quod autem finitum terminatúmque eſt, id à termino clauditur: aliud ergo terminus eſt ab eo quod terminatur: quandoquidem terminos ambo, aut ambo terminata appellare erat neceſſe. Nam ſi hoc terminus eſt, illud quod terminatur, idem vero ei quod terminatur eſt terminus, nec ab eo diuerſus: neceſſe eſt quod diximus ſequatur. Vt enim Socrates eiúſq; imago, diuerſa, non eadem ſunt (nã ſi eſſent eadem, aut ambo Socratis imago eſſent, aut ambo Socratẽs) ita in termino & eo quod terminatur ſeſe res habet. Hæc igitur non eſſe eadem eſt neceſſe, quandoquidem eſſe diuerſa confeſſum eſt. Corpus ergo ſi tribus præditum ſit dimenſionibus, huius terminus tres nõ habebit. Aut igitur duas, aut vnam habuerit: ſed vnam obtinere nõ poteſt (nõ enim corpus ipſum in vniuerſum terminabit: enimuero terminus totum id quod terminat extrinſecus emetiatur oportet) opus igitur eſt vt corporis terminus totũ ipſum extrinſecus ambiat, nec profunditatem tangat. Id ſi ſit, longitudinẽ ſolum latitudinémque habebit corporis terminus, quocirca dimenſione vna à corpore ſuperabitur, ne idem ſit cũ corpore terminus: qui eſt ſuperficies corpus limitans, ac ſecundum longitudinem latitudinémque circũſcribens. Quoniam verò ne hæc quidem extremo vacat, neceſſe eſt huius quoque terminum iuxta ſermonem de corpore habitum vna dimenſione ab ipſa ſuperari. Hæc igitur cum penes longitudinem ac latitudinem conſideretur, ille vnum tantum quod eſt in longitudinem ſpacium habebit. Is autem linea eſt, longitudo latitudinis expers, vti eius quoque habet definitio. At quoniam terminata quoq; linea eſt, neceſſe eſt huius etiam terminus eadem ratione vna dimenſione ſit ea inferior. Hæc ergo cum in ſola ſpectetur longitudine, huius terminus dimenſione omninò vacat, quod eſt punctum. Idcirco & ipſum finiens geometra, punctum inquit eſt cuius pars nulla eſt. Quòd

autem noſtræ commentum non ſit cogitationis, eſſe longitudinẽ quæ latitudine careat, ſed id in rerũ quoq; natura inueniatur, perſpicuè oſtendunt locorũ diſtinctiones illuſtriũ ab opacis. Vbi enim ſol verbi gratia parieti incubuerit, eiúſq; partẽ illuſtrauerit, neceſſe eſt quod locũ illuſtratum ab obumbrato diſterminat, lõgitudo tantũ ſit, quæ in latitudinẽ nõ porrigatur. Nã ſi habeat latitudinẽ, id omninò aut lumine affuſum eſt aut vmbra contectũ (non enim quicq̃ inter hæc medium eſt) ſed ſi lumine præditum, illuſtrato: ſi vmbroſum, obumbrato applicabitur. At verò linea palàm inter hæc media cernitur: quæ in longitudinem ſolum extenſa obſcuratum à luminoſo diſcriminat. Nam ſi diſcreta hæc à ſe mutuò ſunt, neceſſe eſt præter hæc ſit aliquid, quod ipſa diſiungat, nec radijs illuminatum ſit, nec vmbra opacatum. Neque hoc latitudinem habebit. Habet enim id latitudinem, quod neceſſe eſt lumine ſit aut vmbra affectum, at horum neutrum eſt, cum vtriuſque diremptio ſit. Quare neceſſe planè eſt illuſtrati atque adumbrati loci limitem longitudinem latitudine carentem eſſe duntaxat, id quod eſt linea. Quin communis quoque vſus, lineæ naturaliter notitiam obtinet, cum vias metimur. Longitudinẽ enim ſine latitudine ſolam accipimus. Rurſus vero ipſius ſuperficiei notio habetur, cum menſura definimus agros: nam eorũ longitudinẽ ſolũ latitudinémq; æſtimamus. At verò puteis & parietibus & lignis metiendis, corporis intelligentiã cõcipimus, longitudinẽ & latitudinem & profunditatem nimirum aſſumẽtes. Rurſum itaque ſi infinita linea nõ eſt, ſed terminis concluſa, ipſius quoque omnino finis neceſſe eſt ab ea vincatur vna dimenſione. Linea igitur quoniam vnam tantum dimenſionem habet, huius terminus nulla conſtat dimenſione, quod eſt punctum. Quamobrem & id ita finiunt, cuius pars nulla eſt. Ac ſic quidem per reſolutionem hæc inter ſe ordine poſita eſſe, oſtendimus: & verò per compoſitionem idem hoc rurſus demonſtrabimus. Punctum ſi in fluxu ponatur, lineam facit. Principium enim lineæ eſt, vt ipſum nunc temporis, & momentum motionis. Quapropter rectè affirmat Ariſtoteles, proportione hæc ſibi inuicem reſpondere, punctum, & ipſum nunc, & momentum. Quam enim punctum ad lineam, vtpote lineæ principium abſque dimenſione, habet rationem, eandem & ipſum nunc ad tempus obtinet, & momentum ad motum: cum principia ſint conſequentium, ac ſpatio careant. Linea verò in latitudinem mota ſuperficiem parit: hæc autem ſi in profundum agatur, corpus efficit. Atque hæc vt cognoſcamus nos quid linea ſit, & ſuperficies, & corpus. Quòd autem ſint hæc continua, nemo ambigit: cohærent enim ipſis partes, ſúntque vnà inuicem iunctæ. At locus & tempus non ex ſe habent continuum. Quocirca & Ariſtoteles tribus prioribus enumeratis linea, ſuperficie, corpore, velut ab alio principio ſubiunxit: *Adhuc autem præter hæc locus & tempus.* Quaſi illa ex ſe continuitatem habeant, hæc non ex ſeſe, ſed alijs de cauſis. Eſt enim nihil aliud tempus quàm motus menſura, qui in cæleſti ſit globo. Diem nanque eſſe dicimus, ſolis reditum ab ortu ad ortum rurſus: & menſem vbi luna iterum ad idem punctum vnde moueri cœpit redierit: aut potius cum à ſole diſcedens rurſus ad idem cum ipſo punctum ſecundum longitudinẽ coiuerit. Similiter & annum, circuitum ſolis in Zodiaco. Tempus ergo menſura eſt motionis: fit autem motio in magnitudine. Ariſtoteles enim motum nullum per vacuum fieri poſſe demonſtrat. Nam ſi quis motum, inquit, per vacuum fieri velit, is rationem quam aſſignet, non habet, cur celerius globoſa corpora ijs quæ folij ſpeciem referunt tametſi pari conſtent mole, deorſum ferantur: aliáſque præterea demonſtrationes affert. Quare cum tria hæc ordine ſint diſpoſita magnitudo, motus, tempus, vt ſeſe habet magnitudo, ſic motus quoque: ac quemadmodum motus, itidem habet & tempus. Nam ſi continua ſit magnitudo, continuus erit & qui in ea fit motus: quòd ſi motus continuus ſit, erit & tempus continuum. Simili modo & ſi diſcreta magnitudo ſit, diſcreta erunt, & motus & tempus. Si in ligno verbi gratia fiat motus, huius verò ſint partes diſcretæ, fiet diſcretè & motus: at ſi continuæ hæ ſunt, eſt & motus continuus. Itaque ſi continuus ſit cæleſtis globus, eſt & qui ab eo fit motus continuus. Continuum verò & tempus, eſt enim nihil aliud tempus, quàm menſura quæ in eo fit motionis. Non igitur continuitatem ex ſeſe habet tempus, ſed propter motum, motus verò propter

corpus in quo fit motus, quocirca tempus quoq; continuitatem obtinet corporis beneficio. Verũ ne locus quidem ex ſe continuum habet, eſt enim locus, vti iã diximus, terminus ambientis quatenus rẽ quę ambitur, cõplectitur: vt dolium locus eſt vini, non ipſum totum, ſed eius caua ſuperficies duntaxat: ergo vt quod cõtinetur ſe habet, ſic habebit & locus. Cum igitur continuum corpus omne atq; in loco neceſſariò ſit, erit & locus continuus. Quare locus quoq; corporis ope quod in ipſo eſt cõtinuitatẽ habet, eſt enim locus, vt modo diximus, terminus ambientis. Nam quatenus quidem terminus eſt ambientis, ſuperficies nõ locus dicitur, continuúſq; eſt: quatenus verò ambit, locus: habétq; qua ratione locus eſt cõtinuitatẽ ex eo ipſo quod cõtinetur. Quòd autẽ cõtinuus ſit oĩs locus, vel hinc cõſtare poteſt. Si enim dolium reſcideris, nihílque extra vinũ, neq; aërem, neq; aliquod corpus aliud ſuppoſueris, inuenietur vini illius pars quæ per ſciſſuram apparet in loco non eſſe, quod eſt abſurdum. Nam corpus omne loco contineri eſt neceſſe. Quinq; igitur hæ ſunt ſpecies quanti. Quam ob cauſam verò ſpeciebus quanti nõ connumerat motum? Dicimus propterea quòd motus infinita res quædã eſt: eſt enim via ab eo quod eſt poteſtate, ad id quod eſt actu. Ob id igitur huius nõ meminit. Et item tanq̃ ad eos qui introducũtur verba faciens: præceptionẽ enim maiorẽ requirit ſermo de motu. Vel magis motum ne propriè quidẽ quantum eſſe dicendũ: eſt enim actus quidã eius quod mouetur. Nã quónam pacto alterationẽ, vel incrementũ, vel decrementũ dixerim quantũ? Vt ergo nec generatio quãtũ eſt, ita ne motus quidẽ vllus. Nã nec motus localis ipſe quãtum eſt, ſed actus quidã: propter ſubiectum verò in quo fit & nõ per ſe continuitatẽ habet. Quamobrem mutationes in vniuerſum, id quod ſupra quoq; aſſerebam, vias in prædicamenta, nõ prædicamenta eſſe dicendũ eſt: aut alia ad aliud prędicamentũ referenda, vt loco illo prodidimus. At tempus cũ numerus menſuráq; exiſtat motionis, propriè eſt quantum: nam quanti ſunt numerus & menſura: eſt ergo tẽpus quantum, ſi continuum quoq; id eſt corpus quantum eſt. Cæterum quæritur quánam ratione corpus inter ſpecies quanti, cum corpus ſubſtantia ſit, connumerauerit. Dico itaq; eſſe & quãtum & quale vt antea quoq; indicauimus ſubſtãtiale. Verbi gratia calidum in igne quale ſubſtantiale eſt: & in corpore tripliciter dimenſum, ſubſtãtiale quãtum. Quem igitur ad modum ſiquis calidum in igne, nõ vt ignem, ſed vt qualitatem ſimpliciter contẽpletur, id ad qualitatẽ referet: ita corpus quoq; quatenus longitudinẽ & latitudinem & profunditatẽ ſimpliciter habet ſpectantes, vt ſpeciem quãti, nec vt ſubſtantiã conſiderauimus. Diſcreti verò ſpecies ſunt, vt traditũ eſt, oratio & numerus. Eſt enim oratio, & quantũ, & diſcretũ quantũ. Quantum quidẽ, quoniã ſyllaba breui & longa eam inquit metimur: diſcretũ verò, quoniam ſyllaba quæuis propriam circunſcriptionem habet: poſſumúſq; ſyllaba vna prolata ſupprimere alteram. Porrò & numerus diſcretorũ eſt, nam & huius quælibet vnitas circunſcriptionem propriam obtinet. Hoc igitur pacto diuiſione vſus ac ſubdiuiſione, rurſus modo quodam alio ſubdiuidit quantũ: quantũ inquiens tum ex habentibus inter ſe partium quæ inſunt ipſis poſitionẽ, tum ex non habentibus conſtare. Ex partium ſuarum inter ſe poſitionem habentibus dicuntur illa, quæ alicubi poſita ac demonſtrabilia ſunt, partéſque habent totas ſimul conſiſtentes, vt lapis. Etenim ſitus eſt verbi gratia in pariete, & demonſtrari poteſt (ſub ſenſum enim cadit) ſimúlq; partes eius omnes conſiſtunt. Ex ſitũ itaq; habentibus ſunt corpus, & ſuperficies, & linea, & locus: demõſtrabilia nánq; hæc ſunt omnia, & ſita alicubi, habéntq; partes omnes quæ ſimul conſtent. At verò tempus & oratio neq; demonſtrari queunt, cum ſenſui nõ ſuccumbant: neq; ſimul conſtitutas habent partes, neq; enim tẽpus ſimul totum exiſtit, ſed in ipſo nunc ſolo, ipſum enim eſſe in eo obtinet cp fiat corrumpatúrq; protinus. Verum ne oratio quidẽ ſimul tota ſubſiſtit, nam pronunciata ſyllaba quæ ſequuntur dicenda nequaquam expectat, ſed prius interijt prima, quàm ſecunda prodierit. Quomodo igitur quod non permanet, poſitionem quampiam habet? Atqui ordinem potius naturalem quendam habere hæc dixeris: eſt enim ipſum nunc futuro, non autem futurum ipſo nunc prius: éſtque id naturalis ordo, cum non reflectitur. Ordo autem ad nos relatus, eſt cum nullo diſcrimine reciprocat: velut cum à dextris inchoãtes, primum dixerimus dextrum: rurſus ſi incipere

à ſiniſtris velimus,ſiniſtrum primum aſſeruerimus. Et verò oratio quoq; ordinẽ obtinet naturalem,nam qui oratio dicit,primam ſyllabam hanc habet,illam ſecũdam.Quin ordo etiam in numero eſt,q̃ duo priora vno,numerentur. Verum quoniam eſt duplex numerus,alter in animo numerans,alter in numerabilibus: quemadmodũ & Sextarius duplex,tum quo metimur,tum quem metimur: animo inſitum numerum non poſſe ex ijs eſſe quæ poſitum partium habeant perſpectum eſt. Non enim ſitum quempiam habẽt eius partes,cum ſit intelligibilis.Qui autem in numerabilibus eſt rebus,vt in decẽ equis, is ex poſitum habentibus conſiſtit:ná iacent alicubi eius partes,ac quendam inter ſe obtinent ſitum. ob id itaq; dixit: *Poſitionem autem haud planè acceperis.* Nec dixit nequaquam: haud ignarus numerum alterum ex poſitionem habentibus conſtare, alterum ex non habentibus. Sed enim vel in ipſis autoris verbis perſcrutari ea quæ diximus operæpreciùm eſt. *Partium enim numeri communis nullus eſt terminus ad quem eius copulentur partes.* Quòd numerus quantum ſit, ne probatione dignum quidem arbitratur. Qui enim numerum non vult quantum eſſe,nec aliud quicquã cenſuerit. Quòd autem diſcretum ſit quãtum,nimirum hoc probat. Non enim inquit terminum habet ad quem partes eius copulentur cõmunem. Nam ſi denarium numerũ in duos quinarios diuiſerimus,diſcretũ vtrumq;, circunſcriptionémq; habere propriam comperiemus. Neq; enim vnitas aliqua eſt,quæ partibus vtriſq; coniuncta ſit,ſuáq; opera continuitatẽ ijs largiatur. Similiter & in ſeptenario numero.Nam quarta vnitas,trinitatum neutram neq; ad ſeipſam,neq; eas inter ſe connectit:ſed ipſa quoq; in circunſcriptione propria conſideraẽ.Quare diſcretum quantum eſt numerus.Sed oratio quoq; inquit diſcretum eſt quantũ,eadẽ de cauſa.Nam neq; orationis partes,ſyllabas inquam, per cõmunẽ terminum quempiam cõtinuari cernas, ſed circunſcripta quælibet eſt. Orationem autem dicit,quæ cum voce fit : quandoquidẽ oratio altera pronũciatiua eſt,altera interius inſita,quæ in animo ſpectatur,ob id de pronunciatiua ſe oratione loqui admonet:nam interior ne quantũ quidem eſt omnino. Verum ſi quidpiam eſt,animi qualitas proculdubio eſt,ſi habitus diſpoſitio eſt animi,diſpoſitio autem & habitus qualitates, vti intelligemus. Numerum autem orationi antepoſuit, quoniam per eum orationem metimur. *Linea vero continua eſt.Eſt enim communem terminum ſumere ad quẽ eius continuantur partes, punctum:& ſuperficiei lineam.*Linea iure cõtinua eſt.Eſt enim linea longitudo latitudine carens:nã pars eius quælibet ad aliam atq; aliã copulatur,quæ punctum terminum obtinent cõmunem. Punctum autẽ partibus vacat & dimenſione, merito igitur & eius partes continuę ac citra dimenſionem vnitæ ſunt:diuiditur enim in puncto linea, in quo & eius copulantur partes. Cæterum punctum ſeu communẽ terminum poteſtate nec actu oportet cepiſſe, nam ſi actu acceperis non erit linea tota continua.Et verò ſuperficiei partes cõmuni termino,id eſt linea copulantur. Quocirca continua eſt & ſuperficies,p lineam enim diuiditur. Quòd ſi linea longitudo eſt expers latitudinis,cũ ſuperficies per longitudinẽ ſecetur;partes latitudinis interſtitio carebunt:quandoquidem nec linea ſpacium habet ſecundum latitudinem. Porrò & hoc loco linea poteſtate & non actu capienda eſt. *Partes enim plani ad terminum quendã copulantur cõmunem.* Antiquiores enim ſuperficiem abſolutè omnem, planum, alterum pro altero ſumentes, appellant:ſiquidem nullo diſcrimine ſuperficiem vel planum nominant.Iuniores verò nõ omnem ſuperficiem planum vocant, ſed extentam duntaxat: norunt quippe ſuperficiem genus eſſe,eámq; in planam,& teretem, & globoſam, ac ſi alia ſit quæpiam diuidi. *Eadem vero ratione & in corpore communem terminum lineam vel ſuperficiem ſumere aſſignaréq; potes, ad quam ſe corporis partes coniungant.* Copulantur enim ad ſuperficiem terminum cõmunẽ corporis partes:ob eam verò & ad lineam.Nã cũ ſuperficies ſecũdum profundũ diuidat corpora, ipſa verò profunditatis dimenſione omnino careat,neceſſario quoq; partes corporis per ſuperficiem ad ſe inuicem citra dimenſionem copulantur. Rurſus autem & hoc loco diuiſionem etiam ad ſuperficiem poteſtate accipimus. *Ob ſuperficiem verò corporis partes vel ad lineam copulantur.* Quoniam enim, vti diximus, adepta fluxum linea ſuperficiem facit, is à linea incipiat oportet, qui corpus ſecundum ſuperficiem diuidit, eámque velut attrahendo, ſuperficiem conſtituat, atque ea ſubiectum diuidat. Quamob-

rem quoniam corpus ipſa per ſe totam ſuperficies ſecat, neceſſe quoque eſt vt ſuo termino,linea inquam,corporis extrema coniungat. *Eſt porrò tempus & locus huiuſmodi. Nam tempus nunc,ad præteritum ac futurum copulatur. Rurſus locus continuorum eſt. Occupant enim locum quendam corporis partes,quæ ad communem terminum quendam connectuntur.* Si enim corpus coniunctas continuáſque habere partes demonſtratum eſt (nanque ſecundum ſe totum in loco eſt omne corpus)locus ergo qui corpus ambit,continuus eſt: ſiquidem pars nulla corporis quin in loco ſit,effugit. Igitur ob corporis continuitatem habet & locus continuum.

22 Amplius autem. Alia quidē conſtant ex partibus, quæ in eis ſunt poſitionem habentibus ad ſeinuicem:alia autē ex nō habentibus poſitionē: vt lineæ quidem partes poſitionem habent ad ſeinuicem: ſingulæ nanque earum ſitæ ſunt alicubi,& habeas vnde ſumas, & aſſignes vbi ſingulæ ſitæ ſint in plano,& ad quam partē reliquarum copulentur.Similiter autem & partes plani poſitionē habent aliquā:ſimiliter nāq; aſſignaretur vnaquæq; vbi iacet,& quæ copulētur ad ſeinuicem.ſed & ſolidi partes ſimiliter,& loci. In numero autē non poſſit quiſquā oſtendere quemadmodum partes eius poſitionem aliquam habeant ad ſeinuicem,aut vbi iaceant, aut quæ partes ad ſeinuicem cōnectātur.Neq; eæ quæ tēporis ſunt:nihil enim permanent partes temporis: quod autē non eſt permanens, quomodo poſitionem aliquam habebit? Sed magis ordinem quendam dices habere, eo quòd aliud quidē prius ſit temporis,aliud vero poſterius. Sed & in numero ſimiliter,eo quòd prius numeratur vnum q̄ duo,& duo q̄ tria:& ſic habebunt aliquem ordinē:poſitionem verò nō omnino accipies. Sed & oratio ſimiliter.Nulla enim remanet partium, ſed dictum eſt,& non eſt hoc amplius aſſumere.Quapropter non erit vlla poſitio partium eius, ſiquidē non permanent. Igitur alia ex habentibus poſitionem partibus conſtant, alia ex non habentibus poſitionem.

Præterea quædā ex partibus quæ ipſis inſunt poſitionē inter ſe habētibus conſtant,quædā ex non habētibus.

Attendendū eſt coniungi in priore diuiſione tēpus quantis cōtinuis, lineæ, ſuperficiei, corpori,loco:hîc verò iįs quę nō ex poſitionē habentibus partibus conſtant,quādoquidē ex habentibus poſitionē conſiſtentia tribus his figurantur:q̄ ſita vſquā ſint, ſuperius inferius:q̄ digito demonſtrari queant: q̄ partes coniunctas hoc eſt totas ſimul exiſtentes habeant: quorum ne vnū quidem tēpori cōpetit. Numerum autē cum in prima diuiſione diſcretis connumeraſſet,hîc poſitionem habētibus iunxiſſe quodāmodo videtur. Enimuero de quali numero ſermo ei ſit ſuperius diximus. *Vbi ſita quælibet in planitie ſit,& quibus reſignarum partibus cohæreat.* Per hęc verba,vbi ſita quęlibet ſit,receptiuum dicit.Per ea verò, & quibus reliquarum partibus cohæreat, ſex poſitus aduerbia. Qua verò ratione quantū non in id quod præditum ordine ſit & non ſit, ſed in poſitum habens & non habens diuiſit? Quoniam ordo in quanto ſpectatur. Non enim in poſititijs ordo eſt duntaxat,ſed in poſitu quoq; carentibus, nam & in numero viſitur, ſiquidem vnum prius duobus eſt: & in oratione,quādoquidem exordium narrationi præmittitur:& in tempore, primum enim præteritum eſt,dein præſens,poſtremò futurum.

23 Proprie autē quanta hæc dicuntur ſola quæ dicta ſunt:alia verò omnia ſecundū accidens. Ad hæc enim aſpicientes, & alia dicimus quāta:vt multum dicitur album,eo quòd ſuperficies multa ſit: & actio longa,eo quòd tempus multum ſit, & motus multus. Neque enim horum ſingulum per ſe quantum dicitur: vt ſi quis aſſignet quanta actio eſt , tempore

diffiniet annuam,vel ſic aliquo modo aſſignans: & album quantum quid ſit aſſignans,ſuperficie definiet.Quanta enim fuerit ſuperficies,tantum al bum eſſe dicet.Quare ſola proprie ſecundum ſeipſa dicuntur quanta quæ dicta ſunt.Aliorum vero nihil per ſe:ſed ſi fortè,per accidens.

¶ *Cæterum proprie quanta hæc ſola dicũtur quæ commemorauimus.Alia vero per accidens omnia, quippe ad hæc reſpicientes,& alia quanta nominamus.Verbi gratia multum vocatur album,quòd ſit ſuperficies multa.*

Scientis munus eſt non ſubiectas modo eius ſcientiæ res contemplari, verũ eas etiam quæ eſſe videtur,nec re vera ſunt,perſequi atq; refellere.Id quoq; Ariſtoteles facit.Nam cum ſpecies quanti ſeptem,nempe continui quinq;,duas autem diſcreti enumeraſſet,nõ hîc conſtitit,ſed num ſub quãtum redigi & alia quæpiam poſſint,diſquirit. Quandoquidem igitur album,& multum & paucum videtur,quãti autem ſunt multum & paucum: ſed actionem quoq; longã & breuem vocamus, hæc inquit non propriè quanta, verum per accidens appellamus:eò enim quanta & ipſa nuncupantur q̃ in quantis exiſtant. Nã quoniam in ſuperficie albũ eſt, ſi multa vel pauca illa ſit, album quoq; multũ paucúmve eſſe ob participationem huius affirmamus. Similiter & actio vt longa ſit aut breuis per accidens habet.Cum enim exempli cauſa Troianum bellum in quodam tempore ſit puta decennio confectum , tempus autem lõgum nominemus,idcirco & actionem quę in lõgo tẽpore obitur , longam eſſe per accidens dicimus. Quamobrem quanta propriè ea ſunt quæ recenſuimus:alia verò illorum gratia quanta per accidens appellantur. *Et motus multus.*Multus dicitur motus eſſe,quòd tempus in quo fit,multum exiſtat.Tempus enim menſura eſt motionis,nam menſem vocamus, lunæ reditum ad priorem ſtatum:annũ verò,ſolis circuitum annuo tempore cõfectum. Quippe ſiquis quanta ſit actio quæpiam rogatus fuerit,tempus reſpondet, vt decẽ annorum. *Quanta enim cumq; ſuperficies fuerit,tantum quoque album eſſe affirmabis.* Nam ſi quantum ſit album interrogamur, dicimus bicubitũ fortè vel tricubitum,quanta nimirum & ſuperficies eſt quæ album continet.Quare non ipſum album multum vel paucum,ſed ſuperficiem appellamus.Cæterum poteſt & in cubitali ſuperficie album,eo magis quod in bicubitali eſt album eſſe:verùm tunc album nõ albo plus, ſed album albo magis album nominamus.

Amplius. Quanto nihil eſt contrarium. In definitis enim manifeſtum 24
eſt,q̃ nihil eſt contrarium:vt bicubito vel tricubito,vel ſuperficiei,vel alicui talium. Nihil enim illis eſt contrarium. Niſi quis forte dicat multum pauco eſſe contrarium,vel magnum paruo.Horum autem nihil eſt quantum:ſed magis eorum quæ ſunt ad aliquid.Nihil enim ipſum per ſeipſum magnum vel paruum dicitur:ſed eo quod ad alterum refertur. Vt mons quidem paruus dicitur, milium verò magnũ:eo quòd hoc ijs quę ſunt ſuĩ generis maius ſit,illud verò ijs quæ ſui ſunt generis minus.Ergo ad alterũ eſt eorum relatio.Nam ſi per ſeipſum magnum vel paruum diceretur,nũquam mons quidem aliquando paruus,milium verò magnum diceretur. Rurſus in vico quidẽ plures hoĩes eſſe dicemus, Athenis vero paucos: cũ ſint illis multò plures : & in domo quidem multos : in theatro vero paucos, cum ſint plures.

¶ *Item quanto nihil eſt contrarium.*

Cum quanti diuiſione nobis tradita, qualia propriè quanta ſint,& qualia per accidens dixerit:nunc vult, perinde atq; in ſubſtantia fecit, proprium quanti aſſignare. Nam finitionem eius promere minimè licuit,ob eam quam ſuprà cauſam attulimus:nempe q̃ generaliſſimorum generum finitio dari non poſſit.Siquidem de decem prædicamẽtis ens, vt in introductionibus proditum eſt,non vt genus prædicatur. Nã ſi de quanto hoc quo-

piam vt bicubito ſermo ei haberetur,fieri poterat, vt genere aſſumpto quod eſt ſimpliciter quantum,eius naturam finitione exhiberet.Nunc verò de ſimpliciter quanto ſermonem inſtituit, cuius genus inuenire generaliſſimum non eſt, quo finitionem eius in medium afferret. Verumenimuero quemadmodum in ſubſtãtia ea prius quæ ipſius propria eſſe viderentur,expoſuit,dein confutatis ijs,omne eius verè proprium tradidit,hîc quoq; haud ſecus exploſis prius ijs quæ propria quanti eſſe videbantur,poſtea germanum ipſius proprium edocet.Atq; in primis quidem,inquit nihil cõtrarium habere, quanti eſſe proprium videri,nam finito quanto quídnam eſſe inquit contrarium, vt bicubito, vel tricubito,vel ſuperficiei,vel eiuſmodi cuiquam poteſt? *Nihil enim eorum contrarium eſt.Niſi quis forte multum pauco, vel magnum parno contrarium eſſe affirmauerit.* Hîc propriè an magnum & paruũ contraria,vel quanta omninò ſint,accurata examinatione ſcrutatur.Nam cum in diſputatione de ſubſtantia hæc ſola commemoraſſet, contrarietate eorum conceſſa præterijt: nunc verò non eſſe hæc quanta,ſed ad aliquid demonſtrat: ídq; duplici rurſum via, tum per inſtantiam,nempe quòd non ſint quanta:tum per fiduciariam reprobationem, nimirum q̃ tametſi quanta eſſe fuerit conceſſum,non ſint tamen contraria. Ac primum quidem per inſtantiam ſic inquiens,horum autem nullum eſt quantum, ſed ad aliquid magis : nihil enim ipſum per ſe magnum dicitur aut paruum, ſed ad alterum refertur. Proprium nanq; ad aliquid ſe habentium eſt,vno poſito ſimul inferri alterum, & tolli ſublato. Nam poſito patre,ſecum omninò & filius infertur, atq; eo ſublato perimitur. Eo modo nec multum quidquam ipſum per ſe dicitur multum,ſed ſi ad paucum referatur:nec ſecus quoq; paucum ad multum.Et verò in paruo & magno ſimilis ratio eſt, habet enim relationem vtrũq; ad alterum, neq; horum ipſum per ſe vllum finitam quampiam obtinet naturam.Idque apertum hinc eſt,nam mons inquit paruus, magnum autẽ milij granum vocatur.Atqui ſi horum per ſe quodlibet paruum diceretur, neq; ad alterum collatione ad illud referretur,vtiq; non montem paruum, granum autem milij magnum nominaremus:ridiculum enim hoc eſſet . Nunc verò paruum quidem montem, alio videlicet minorem monte appellamus : magnum autem milij granum , nempe alio maius. Sic & paucos homines Athenis eſſe, ipſas ſibi aliíve vrbi conferentes: in vico verò complures,quanquam hic quàm Athenis pauciores,comparationem nimirum ad vicũ alium facientes. Qua de re aut continuum quanti & ad aliquid relati idémque eſſe prædicamẽtum dicamus,aut ſi diſtincta prædicamenta ſunt, hæc non ad quantum , ſed ad id magis quod eſt ad aliquid referenda.

25 Amplius.Bicubitum quidem & tricubitum & vnũquodq; talium quantum ſignificat:magnum vero vel paruum non ſignificat quãtum,ſed magis ad aliquid : quoniam ad alterum conſideratur & magnum & paruum. Quare manifeſtum eſt,quòd ipſa ſunt eorum quæ ad aliquid.

Præterea bicubitum & tricubitum atque vnumquodq; eiuſmodi,quantum ſignificat. Magnum autem & paruum non indicat quantum, ſed ad aliquid magis.

Propriè enim quantum, inquit, & circa quantum ſit indicat: verbi cauſa hæc linea & ſuapte natura quantum eſt,& circa quantum ſit denotat,tricubitalis enim vt ſic dixerim bicubitaliſve eſt. Quare quæ propriè quanta ſunt, circa quantum quoq; verſentur,declarant.At magnum & paruum,multúmque & paucum non certum quantũ definitúmque obtinent,eſt enim horum quoduis infinitum,quapropter hæc quanta non ſunt.Quid ergo dixerit quiſquam,fortaſſe infinitum quantum non eſt? Vbi continuum vel numerum vel lineam dico,aut huiuſmodi quidpiam, quantum quoddam pronuncio quidem , non tamen præterea & circa quantum ſit definio,velut cum tria dico,vel quinq;, vel tricubitum.Neque igitur in his infinitudinem eandem ſpectari aio,quæ in paruo ac magno viſitur,& multo ac pauco.Sũt enim infinitiora ſemper ſpeciebus ſuis genera.Cum enim animal pronũcio, non perinde finio ſubiectum atq; cum hominem dico, aut equum. Verũtamen quoniam non æquiuoca ſimpliciter vox eſt animal,ſed inſita quędam communiter pluribus ſubſtantia, licet quod ab hac voce animal ſignificatur definire , atq; ſubſtan-

tiam animatam ſenſu præditam eſſe dicere,éſtq; certa quædam natura ea,quæ ab animali denotatur.Sic igitur & in propoſitis.Nomen enim continui cum generalius pateat, eſt quãto quidem infinitius determinato,nempe tricubito: quippe hoc indiuiduum iam eſt, vt illic Socrates quoq; indiuiduum.Similiter numeri quoque generalius ſignificatum eſt quàm trium & quinq;,quæ ſunt indiuidua. Sed eſt tamen & in his quiddam, vt quod declaratur,finitum.Continuum enim eſt quantum, cuius partes ad terminum quẽdam coeunt communem:diſcretum autem,quod non ita habet.Et vero lineam nominans,magnitudinem dico ſpacio vno comprehenſam:ſuperficiem,duobus:corpus autem, tribus. Ac finitum horum quodq; eſt,perpetuò ſe eodem modo habẽs,nec ad reſpectum diuerſum,differẽtem,vt magnum & paruum,& multum & paucum naturam admittit. Nam ſiquis magnum dicat,puta quod aliud exuperet,atq; idcirco magnum montem verbi gratia Olympum aſſerat,vt Hymetto vaſtiorẽ,tamẽ eundem hunc ſi terræ conferat,paruũ, quaſi minor quàm ea ſit,appellabit. Ergo quod eſſe magnum dicitur, quãtum quodpiam finitũ non eſt:vt ſingula quę diximus quanta,non quanta duntaxat ſunt,ſed & circa quãtum ſint definiunt:exempli gratia vel quod vnam habet dimẽſionem,vt linea:vel duas, vt ſuperficies:vel quod in vnione partium ſpectatur,vt continuum: vel in earũdem diuiſione diremptionéque, vt diſcretum. Præterea.Iam magnum & paruum in quantis verſantur particularibus,vt in hac ſuperficie: ſimiliter & in hac linea, atq; in hoc corpore: & multum ac paucum in hoc numero.Quocirca in quantis indiuiduis horum quoduis verſatur.Quanta verò indiuidua,non quanta ſe modo eſſe,verum & circa quantum ſingula eorum verſentur,declarant,vt tria,& quinq;. Non ergo quãta ſunt magnum & paruum. Quo factum eſt, vt vſus quoq; Ariſtoteles huiuſmodi fuerit exemplis, vtiq; cum dixit à bicubito atque tricubito eiúſque notæ ſingulis duntaxat id eſt ſubſiſtentibus indiuiduis quantum indicari. Nam ſi quãtum omninò eſt magnum & paruum,indiuiduum prorſus dicendum eſt:ſi eſt (id quod dixi) ſimpliciter quidpiam magnum. Sed magnum in ſubſiſtentia eſſe pronunciamus:eſt autem & magnitudo indiuidua.Ergo ſi quãtum eſt omne indiuiduum,finitum eſt:magnum autem & paruum, & multum paucúmq; cum ſint indiuidua,infinita quædam exiſtunt:non igitur quãta ſunt magnum & paruum. Ac ita per inſtantiam quidem,ne quanta quidem ea eſſe concedit.Per fiduciariam autem reprobationem,tametſi quanta eſſe ea conceſſerit,ipſa tamen non eſſe contraria demonſtrat. Illinc verò reprobationis initium ſumit.

Amplius.Siue aliquis ponat quanta eſſe hæc,ſiue non ponat,nihil eſt il 26
lis contrarium . Quod enim non poteſt ſumi per ſeipſum, ſed ad alterum refertur,quomodo huic aliquid erit contrarium?

Item ſiue ponat quis quanta ea eſſe , ſiue non ponat , nullum eſt ipſis contrarium. Nam quod ipſum per ſe ſumere non eſt, ſed ad alterum refertur,quomodo contrarium huic eſſe quidpiam poſſit?

Quod dicit, huiuſmodi eſt: Contraria primum ipſa per ſe ſunt,abſolutámq; obtinent ſubſiſtentiam:tum ſic inter ſe bellum ſuſcipiũt:vt album & nigrum, cum alia prius quædam ſint,(ſunt enim qualitates) ita aduerſus ſe mutuò prælium iniuerũt.Eo ſiquidem ad aliquid relata à contrarijs differunt, quòd primum ipſa per ſe contraria ſunt.(licet enim qui album dixerit , nigrum non accepiſſe:& ne omnino quidem nigrum,etiam ſi album ſit,eſſe:contrà nigrum eſſe,nequaquam albo exiſtente) deinde inter ſe pugnant. At quæ ſunt ad aliquid ſimul ſe inuicem pariunt,ſimúlque intereunt.Nam patre nominato,filiũ quoq; ſimul comprehendi:& hoc rurſus perempto,ſimul & filius deperit. Quandoquidẽ igitur magnum paruúmque,& multum ac paucum per ſe minimè ipſa ſunt, neq; horum per ſe ipſum abſque habitudine ad alterum,ſubſiſtere aliquod valet, non cõtraria, ſed ad aliquid eſſe conſpicuum eſt.Contraria enim eſſe ea dicebamus, quæ prius ipſa per ſe ſubſiſtentiam habent propriam,dein ſic inter ſe pugnam commiſcent.

Amplius autem.Si ſunt magnum & paruum contraria,continget idem 27
ſimul contraria ſuſcipere: & ea ipſa ſibimet eſſe contraria, contingit enim

ſimul idem paruum eſſe & magnum:eſt enim ad hoc quidem paruum, ad aliud vero idipſum magnum. Quare idem & paruum & magnum eodem tempore eſſe contingit:quare ſimul contraria ſuſcipere.Sed nihil eſt quod videatur ſimul contraria ſuſcipere poſſe:vt in ſubſtãtia quidem. ſuſceptibilis enim contrariorũ eſſe videtur:ſed nullus ſimul ſanus eſt & æger: neq; album & nigrum eſt ſimul:nihílque aliud ſimul contraria ſuſcipiet.Et eadem ſibiipſis contingit eſſe contraria. Nam ſi eſt magnum paruo contrarium:ipſum autem idem ſimul eſt magnum & paruum,ipſum ſibi erit cõtrarium.ſed impoſſibile eſt aliquid ſibiipſi eſſe contrarium.Non eſt igitur magnum paruo contrarium:neq; multum pauco.Quare vel ſi nõ eorum quæ ad aliquid hæc quis dicat,ſed quanti,nihil contrarium habebunt.

¶ *Inſuper ſi erunt magnum & paruum contraria, vſu veniet idem ſimul contraria admittere, atque ipſa ſibiipſis eſſe contraria.*

Ex his cõtraria planè non eſſe ea per deductionẽ ad impoſſibile demonſtrat.Ait enim: Si contrarium paruo magnum eſt,eodem tempore contraria eidem ineſſe continget,nã erit idem & magnum & paruum, & multum & paucum: verbi cauſa milij granum ſi ad fabam conferas,paruum:ſi ad ſinapi,magnum appellatur.Et qui Athenis homines ſunt, ſi ijs qui in pago habitãt compares,multos:ſi ijs qui totam Græciam incolunt,paucos nominabis:itaq; hæc, id quod fieri nequit, tempore eodem contraria aſciſcent. Enimuero ſubſtantia contrariorum quidem eſſe capax aſſerebatur, nõ tempore eodem tamen contraria accipere: erit enim idem nũquam eodem tempore calidum & frigidum, album & nigrum.Non ſolum autẽ admitti ab his contraria inquit, ſed ipſa quoq; ſibiipſis fore contraria:ſiquidem dicitur idem paruum & magnum,& multum & paucum,quod certè abſurdum eſt : quippe ens nullum ipſum ſecum pugnat. *Non eſt igitur magnum paruo contrarium, nec multum pauco.* Antea contraria ipſa ſuppoſuit,& quanta non eſſe oſtendit: dein ſubiecit quanta eſſe,atq; contraria non eſſe monſtrauit:re vera autem,neq; quanta ſunt,neq; contraria,ſed ad aliquid.Quòd itaque quanta non ſint,per inſtantiam aſſeruit:ꝙ verò neque contraria,per fiduciariam reprobationem.Sunt ergo vti diximus ad aliquid,ipſúmq; eſſe habent in quantis.Propriè autem magnũ & paruum de continuo dicuntur. Nam corpus magnum & paruum appellamus,ſimiliter & lõgum & breue:eodem modo & ſuperficiẽ, ac ſpecies cõtinui reliquas magnas vel paruas,vel longas vel breues propriè nominamus. At multum paucúmque de diſcreto,nec ſitum habente,nempe de numero ac tempore, quæ poſitu carent:multum nanq; tempus & paucum,ſimiliter & numerũ dicimus. Quãobrem ſermonis proprietatem ipſe etiam in exemplis meditatus,magnum & paruum in monte & milij grano, quæ continui quanti ſunt,accepit:corpus enim eſt vtrũq;:multum verò & paucũ in numero,in hominibus inquã,tum qui Athenis,tum qui in pago degũt, quę ſunt diſcreti:eſt enim numerus diſcretum quantum.Cæterum ſæpe quoque abutendo paruum & magnum de diſcreto proferimus , multum verò & paucum de continuo. Paruam ſiquidem Demoſthenis eſſe orationem dicimus aut magnam , quòd ad ſcopum vnum ac continuum ſpectet.Quare & de oratione hac magnum,ob ſcopi cõtinuitatem vnitatémque proferre conſueuimus . Nimirum orationes nouem illas de publicis negocijs haudquaquam orationem longam vocaremus : non enim intentio harum vna eſt ac continua.Neq; item Philippicas vndecim:ſed eas dicimus multas. Quin & aquam,cum cõtinua ſit,multam nominamus,fortè quòd facilè diuidatur. Sæpe vero & multam dicimus viam,tametſi continua eſt:nempe quòd in multa ſtadia ſecetur:vel ꝙ ambulãdo locus quidam pedibus diſtinguatur.Eſt verò & hoc loco iure quæſtione dignum, quomodo multum & paucum quanta eſſe paulò ante affirmauerit,cum diceret propriè quanta hæc ſola nuncupari,quæ proxime docuit.Sunt autẽ quinq; continui ſpecies,linea,ſuperficies, corpus,locus,& tempus:& duæ diſcreti, oratio,& numerus. Alia vero,inquit,per accidẽs

omnia:quippe ad hæc reſpicientes,& alia quãta nominamus,vt multum vocatur album, quòd ſit ſuperficies multa. Quo pacto igitur his prius dictis, quibus multum & paucum quanti eſſe planè pronunciauit, hîc non eſſe quanti, ſed ad aliquid affirmat? ſi enim non quanta ea eſſe hîc verè oſtenſum eſt,ſuperius eadem eſſe quanta perperam dixit. Quid ergo ad hoc aiunt?nimirum (id quod nos ſæpe prodidimus) quæ ſunt ad aliquid,definitam re vera nequaquam habere naturam,ſed in prædicamentis alijs exiſtere:eſſéque multum & paucum,& magnum ac paruum,& duplum & dimidium, ſimiliáque ad aliquid quæ in quanto cõſiſtunt,non in quali:quemadmodum & albius,& dulcius,& grauius, ad aliquid quæ ſubſiſtentiam in quali obtinent. Itaq; cum multum dicimus album, quoniam multum & paucum,quæ ad aliquid ſunt,circa quantum,& non quale verſantur, non propriè videlicet,neq; pér ſe loquimur:verũ quia ſuperficies multa quædam eſt quanti. Non hoc igitur dixit ſuperius,multum ipſum per ſe quantum eſſe,ſed ad aliquid in quanto: neque id ſanè in quanto ponere niſi per accidens licet, nempe quòd in quanto ſit, multum ac paucum admittente.

Maximè autem circa locum eſſe videtur contrarietas quanti. Surſum 28
enim ei quod eſt deorſum contrarium ponunt,locum qui in medio eſt deorſum dicentes: eo quòd plurima diſtantia ſit medij ad mundi terminos. Videntur autem & aliorum contrariorum ab his afferre diffinitionẽ. Quæ enim plurimum à ſeinuicem diſtant eorum quæ ſunt ſub eodem genere, contraria eſſe diffiniunt.

Porrò quanti contrarietas circa locum eſſe maxime videtur. Supra enim & infra contrarium ponunt, locum ad medium infra nominantes,quòd ad mundi terminos plurimum medij ſpacium ſit.

Poſtquam magnum & paruum neq; quanta eſſe neque contraria demonſtrauit, ſiquis omninò inquit contemplari in quanto contrarietatem velit,ſupra & infra cõcipiat, hæc enim tum à ſe mutuò plurimũ diſtant,tum contrariorũ quoq; ob id finitionẽ ſuſcipiunt. Sic nanq; definiuntur cõtraria,quæ plurimũ ſunt in eodẽ genere à ſe inuicem diſtincta. Cæterum hoc ipſi non placet,ſiquidẽ ſupra & infra in rerũ natura re vera non eſt, ſed circum & medium:quæ non cõtraria,ſed ad aliquid ſunt. Circum enim ipſum, circum medium eſt:ſupra verò & infra ſpacio abeſſe per diametrũ à ſe mutuò debent. At terra cẽtri rationem obtinet vniuerſo collata,ad quã grauia omnia deferũtur. Qua itaq; ratione locum terræ,hoc eſt centrũ vniuerſi,ignis loco,id eſt cauæ lunaris globi circũferentiæ contrarium afferemus?nõ enim alter ab altero abeſt vniuerſi diametro: quare plurimũ ſemoti non ſunt. Seiuncta enim ſunt ea plurimum quæ omni diſtãt diametro, ergo neq; hæc, neq; ſupra & infra cõtraria ſunt,ſed vti dixi ad aliquid:circum nanq; ipſum, circum medium eſt. Niſi quis infra eſſe terrã ſimul omnem ſuppoſuerit, q terra ſub pedibus atque infra quauis ſui parte ſit habitantibus,cælum autem ſupra. Quòd ſiquis ſecundum terræ ſuperficiem infra,ſphæram autem ſupra dicere velit, idem ſupra infráq; eſſe inuenietur. Nam ſuperna terræ ſuperficies infra eſt cæli comparatione:ſi infernę ſuiipſius ſuperficiei conferatur,ſupra. Quin & hemiſphærium vtrumq; ſupra infráque erit,cum ſeſe pro motu diuerſo aliter atq; aliter habeat. Sed nihil eſt quod ſimul in ſeipſo cõtraria eadẽ ratione obtineat. Qua de cauſa fieri nequit,vt ſupra & infra in rerum natura propriè ſint, niſi modo prædicto ſimul terram omnẽ infra appellare cuiquàm libeat. Enimuero ſitu eſt ſupra & infra:vt capiti noſtro impẽdens tectum,ad nos relatum,ſupra: ad eo ſuperiora,infra eſt. *Locum ad medium infra nominantes, q ad mũdi terminos plurimũ medij ſpacium ſit.* Qui,inquit, ſupra & infra in rerum natura eſſe propterea volunt, q terra à quouis mũdi termino ſpacio per diametrum diſtet, terram infra eſſe idcirco aſſeuerant. *Ab his verò finitionem quoque aliorum inferre contrariorum videntur. Nam quæ à ſe plurimum inuicem in eodem diſtant genere, contraria definiunt.* Quoniam terram infra eſſe ſuſpicati ſunt inquit,hæc verò vt ad ſingulos mundi fines relata plurimo interſtitio abeſt,per diametrum inquam:ſunt autẽ ſupra & infra contraria,referuntúrque hæc ad vnum genus quantum,ex his & contrarijs omnibus finitio-

nem afferunt,contrariáque eſſe dicunt ea quæ à ſe mutuò diſtant plurimum,ſub eodem genere comprehenſa.

29 Non videtur autem quantum ſuſcipere magis & minus,vt bicubitum. Neq; enim alterum altero magis bicubitum:neq; in numero,vt tria quàm quinq; nihil magis quinq; aut tria dicuntur, neq; quinq; q̃ tria. Nec tẽpus alterũ altero magis tẽpus dicitur:nec in vllo eorum quæ dicta ſunt omnino,magis & minus dicitur.Quare quantũ nõ ſuſcipit magis & minus.

2● *Non videtur verò quantum magis & minus admittere.*

Cum proprium eſſe quanti aſſeruerit nullum habere contrariũ, idq; omni ineſſe oſtenderit,non addidit quanti hoc proprium non eſſe.quandoquidem & ſubſtantię competat, quemadmodum & in ſubſtantia egit: hoc enim ex ijs fuit perſpectum, quæ de ſubſtantia diſſeruit.Nam ſi ibi proprium non eſſe ſubſtantiæ,nihil contrarium habere,pronũciauit, quòd & quanto conueniat,conſtat hîc quoq; proprium quanti,quoniam & ſubſtantiæ ineſt,non eſſe.Quare quantum nullum capax contrariorum eſt. Verum ſi cõtrariorum capax quantum eſſe fateri oporteat, quemadmodum ſubſtantiæ quoq; contrarium nullum eſſe dicebamus,ipſam vero capacem contrariorum:quid ergo non eſt,inquiunt,craſſum & tenue quanti,& latum & anguſtum,quę ſunt contraria? At hæc non eſſe quanta,ſed ipſum eſſe obtinere in quantis aſſerimus,nõ aliter quàm magnũ quoq; ac paruum.Craſſum enim id vocamus,quod dimenſionem multam habet in profundum:latum,quod in latitudinẽ: anguſtum autem & tenue, quod parum in profundum ac latum interſtitij habet. Ac quæcunque de alijs prodidimus, magno inquam & paruo,multo & pauco, hæc in his quoq; pronunciabimus:nam & hæc ad aliquid ſunt. *Non videtur quantum magis & minus admittere.* Ad aliud quanti proprium tranſiuit, quod eſt non admittere magis & minus, neq; id iniuria: ſiquidem diximus, vbi contrarietas eſt, ibi magis & minus ex contrariorum miſtione fieri.Eſt vero ſciẽdum,& hoc rurſum reprobari à philoſopho, perinde quaſi & ſubſtantiæ competat:ad aliud autem digreditur proprium aítq;:

30 Proprium autem maximè quanti eſt,quòd æquale & inæquale dicitur. Vnũquodque enim eorum quæ dicta ſunt quãtorum æquale & inæquale dicitur:vt corpus æquale & inæquale dicitur:& numerus,& tẽpus æquale & inæquale dicitur.ſimiliter autem & in alijs quæ dicta ſunt,vnũquodque æquale & inæquale dicitur.In cæteris vero quæcunq; quanta non ſunt, nõ prorſus videbitur æquale & inæquale dici.Vt diſpoſitio æqualis & inæqualis non omnino dicitur, ſed magis ſimilis & diſſimilis. Et album æquale & inæquale non omnino dicitur,ſed ſimile vel diſſimile.Quare quãti maxime ſit proprium,æquale & inæquale dici.

2● *Cæterum quanti proprium maxime eſt, æquale dici atque inæquale.*

Atq; hoc præcipuè propriũ eſt quanti,quoniã rei ſoli ineſt atq; omni.Linea enim æqualis lineæ atq; inæqualis dicitur,& locus loco,& ſuperficiei ſuperficies,& corpus corpori,& orationi oratio,& numerus numero.Quòd ſi in quoquam alio æquale & inæquale nominemus,id nõ per ſe,ſed per accidens appellamus:exẽpli cauſa,corpus hoc album dicimus corpori albo illi æquale,eodẽ modo & inæquale:nõ quatenus alba ſunt,ſed quatenus corpora,quæ ſunt quanti. Verùm ſimile magis in talibus propriè diceretur atq; diſſimile: album enim albo ſimile ac diſſimile dicitur:& in id genus alijs eadem ratione.

2● DE RELATIVIS, HOC EST AD ALIQVID SESE REFERENTIBVS.

31 AD aliquid vero talia dicũtur,quæcũq; hæc ipſa quæ ſunt aliorũ eſſe dicũtur,vel quomodolibet aliter ad alterum. Vt maius hoc ipſum

quod eſt alterius dicitur:aliquo enim maius dicitur:& duplum alterius di citur hoc ipſum quod eſt:alicuius enim duplum dicitur. ſimiliter autẽ & alia quæcunque huiuſmodi ſunt. At verò ſunt etiam & hæc ad aliquid: vt habitus,diſpoſitio,ſenſus,ſciẽtia,poſitio:hæc enim omnia quæ dicta ſunt, hæc ipſa quæ ſunt aliorum eſſe dicuntur, vel quomodolibet aliter ad alterum, & non aliud quiddam. Habitus enim alicuius habitus eſſe dicitur,& ſcientia alicuius ſcientia, & poſitio alicuius poſitio, & alia verò ſimiliter. Ad aliquid igitur ſunt,quæcunque hæc ipſa quæ ſunt,aliorum eſſe dicuntur,vel quomodolibet aliter ad alterum. Vt mons magnus dicitur ad alterum (magnus enim mons dicitur ad aliquid) & ſimile alicui ſimile,& cætera talia ſimiliter ad aliquid dicuntur.

Ad aliquid vero dicuntur talia,quæcunque ea ipſa quæ ſunt eſſe aliorum dicuntur.

Quinq; hæc ante relatiuorum præceptionẽ oportet quæramus. Primum ordinem eorum ad prædicamenta. Alterum inſcriptionis cauſam. Tertium, quæ nam ſit eorum ſubſiſtentia. Quartum, diuiſionem in ſpecies. Quintum, genus docẽdi. Primum itaq; cur locutus de quanto, non deinceps de quali, ſed de ad aliquid relatis ſermonẽ inſtituit? atqui quale formam per ſe quandam ac ſubſiſtentiam habet, hæc autem propriam non habent ſubſiſtentiam, ſed ipſum eſſe in alijs obtinent prædicamentis: pluris enim quæ per ſe ſubſtant fiunt ijs quæ ipſum eſſe in habitudine poſſident: nam ipſum per ſe primum ſit oportet, tum ſic ad aliud cohærẽtiam ſuſcipiat. Dicimus igitur quòd quemadmodum fecit in quanto, ſecũdam de hoc pręceptionem ob id ſtatuit, ꝙ in ſermone de ſubſtantia eius meminerit, ne diu nos quid tandem quantum eſſet ignorare pateretur, non ſecus quoq; hic facit. Quoniam enim, cum de quanto ageretur, ad aliquid ſe habentiũ meminit, vbi magnum & paruum, multũ & paucum ad aliquid eſſe pronunciabat, ne nos quę relatiuorum natura ſit ignorãtes diu ſineret, de ijs protinus ſermonẽ habet. Quamobrem verò de relatiuis, nõ de relatiuo ſingulari inſcriptũ eſt numero? propterea inquam ꝙ ad aliquid pertinentia reſpectus quidam ſunt: is autem in rebus duabus minimũ ſpectatur: eáque de re pluraliter titulum indidit. Dextrum enim ſiniſtri eſt dextrum, nec poteſt quidquã ipſum per ſe dextrum eſſe:& pater filij pater, nec quiſquam per ſe fuerit pater quin ad filium dicatur. At in ſubſtantia fieri poteſt, imò verò id eſt neceſſe, vt res vna per ſe ſubſtãtia ſit vt homo. Similiter & in quanto: poteſt enim ſolum bicubitũ quãtum eſſe. Poſſunt vero res ipſæ de relatiuis, pluraliter: ipſa autẽ prædicatio, vel reſpectus ipſe, ſingulariter de relatiuo nominari: quo modo in quanto, prædicamentíſque alijs ſingulariter prædicamentũ proferimus, inſcriptione nimirũ non res eo contentas, ſed quæ de ipſis communiter dicitur, naturam declarantes. Siquidem & relatio quãquam eſt in pluribus, ſubiecto tamen vna eſt, vt ſemen ac fructus:& aſcenſus deſcenſúſq;. Eſt enim ſerui ad dominum relatio vna, quæ à ſeruo incipientibus nobis, ſeruitus: à domino, dominium vocatur: ſimili quoq; ratione in diſcipulo & præceptore, ac reliquis. Verũ quò, vti diximus, nũquam vni rei ſubſtare ad aliquid prædicamentum indicaret, pluraliter idcirco de relatiuis inſcriptionẽ fecit. De ipſorum verò ſubſiſtentia hæc dicimus: Quidam nihil ad aliquid naturâ eſſe inquiunt, ſed noſtræ hæc eſſe cogitationis cõmentum: aiúntq; non ita quæ ad aliquid ſunt naturâ eſſe, verũ poſitione atq; compoſito: quandoquidem fieri poteſt, vt quod dextrum eſt, ſiniſtrũ fiat:& dextrum, quod ſiniſtrum. Pater quoq; filius etiam eſt: & ſeruus poſitione ſeruus: naturâ enim ſeruus nemo eſt: idem autẽ & herus alterius fieri eadẽ ratione poteſt. Cæterum hi nõ rectè ſentiũt, perinde enim cognita naturâ hæc ſunt, ac partes corporis in mutuo quodam reſpectu cõſiderantur. quiddam enim à naturâ ſitum eſt dextrum, vt iecur: quiddam ſiniſtrũ, vt lien: Nec ſiniſtrũ fieri iecur vnquam poteſt, nec lien dexter. Verũ ſi alterũ in alterius locũ ceſſerit, interit animal. Deus quoq; imperat ſolus: nos verò eius tantũ imperio ſubditi omnes ſumus. Corpus item mouent anima naturáq; dũtaxat:

ab ipſis autem ſolum modo corpus mouetur, nec cõtrà ipſas mouet. Quidam vero cum his ex diametro pugnantes, res omnes ad aliquid eſſe cenſebant: quorum ex grege Protagoras fuit Sophiſta. Is enim rem nullam aſſerebat finitam certámq; obtinere naturã: proinde nec mentiri quenquam poſſe affirmabat: quilibet enim prout ſibi apparet opinatúrq; de rebus, quæ non finitam naturam, ſed ipſum eſſe in reſpectu ad nos habent, pronũciat. Mel itaq; auriginoſi amarum dicunt, ac ſanè veri ſunt. nam quod eorum opinio fert, atque ijſdem videtur, id illi quoq; affirmant: qui vero ſanitate fruuntur, dulce, ipſi quoq; vera dicentes. Nigræ quoq; columbæ in ſole ſtantis collum, nõnullis purpureum, quibuſdam aureum apparet aliiſq; aliter quodammodo, pro diuerſo tum ipſius, tum intuentium poſitu. Simili modo & in alijs cunctis. Quod enim verum alij videtur, id ab alio falſum eſſe exiſtimatur: quódq; huic elegans eſſe cenſetur, id alij vitioſum habetur, verum autem oppoſitum. Conſuetudine itaq; loquendi amarũ dicimus, conſuetudine loquendi dulce. Nihil verò alterũ eſt. Quocirca definitã aliquam nulla res obtinet ſubſiſtentiam, ſed eſt ad aliquid. Hunc autẽ confutat quidem & Ariſtoteles in tertio metaphyſicæ tractationis volumine: Si omne, inquiens, quod aliquis quidquam eſſe putat, id verũ quoq; eſt, quandoquidem alimẽto eſſe ignem, nõ autem vrere furioſi arbitrantur, ingeſtũ ijs ignem alere, nec vrere oportebat: Vel vt panis vreret eos, nec aleret opus erat, quoniam vrere hunc ſuſpicãtur. Redarguit & Plato in Theæteto dialogo ipſum hoc refellere inſtituẽs: in quo poſt demonſtrationes multas, hanc quoq; falſè rationem affert, Quoniã nos, inquit, ô Protagora te nequaquã verum eſſe affirmamus, num veri ſumus cũ mentiri te dicimus an falſi? ſi ergo verũ pronunciamus, mẽtitur Protagoras, qui omnes vera loqui cẽſet, nos enim verum aſſerimus, cum cõmemorare te falſa hęc dicimus. Quòd ſi ſumus mẽdaces, cõtingit ergo mendacium dicere: nec qui quidquam loquitur verũ omnis enũciat. Alij verò præter hos rectè dicebant, res alias ad aliquid, ipſas autem per ſe eſſe alias. Ad aliquid, vt dextrũ, ſiniſtrum: per ſe ipſas, vt corpus, vt homo: non eſt enim ad aliquid homo qua ratione homo eſt. Porrò hæc ad aliquid ſpectãtia propria ſubſiſtentia carẽt: eſſe verò ipſum in alijs habẽt prædicamẽtis. Cum enim patrẽ dixi, relationem dixi in ſubſtãtia: cum multũ vel paucum, in quãto: cum albius vel nigrius, in quali: eadémq; in cæteris ratione. Pulchrè autẽ ipſa ſtolonibus compararũt nonnulli, quæ non ſubſiſtentiã propriam, ſed ipſum eſſe in ſtirpibus obtinẽt. Aſſimilant ea quoq; ſibi inuicẽ obnitentibus lignis: quippe horũ altero ſublato, haudquaquam reliquũ ſtabit. Diuiſio autem hæc ipſorũ eſt: Quæ ſunt ad aliquid, alia per æquiuocationem dicũtur, vt ſimile, ſimili ſimile: alia per diuerſiuocationem. Et horũ quędam à mutuo exceſſu vel defectu, vt multum ac paucum, magnũ & paruum, maius minúſq;: Alia à principe & ſubdito, vt dominus, ſerui dominus. Quædam à iudicante & eo quod iudicatur: vt ſenſibile, ſenſu ſenſibile: & ſcibile, ſciẽtia ſcibile. Vel ab eo quod participat & quo participat, vt ſciẽs, & ſciẽtiæ particeps ſit, ſciens nominatur. Aut ſecũdum cauſam & à cauſa perfectum, vt pater, filij pater. Vel ſecũdum agens ac patiens, vt verberans vapulantẽ verberat. Vel pro localî differẽtia, vt dexter, ſiniſtri dexter. Modo autẽ docẽdi huiuſmodi vtitur: Nõ ſanam protinus integrámq; ad aliquid relatorũ tradit finitionem: verũ prius quàm veteres ipſorũ finitionem ſtatuerint, exponit: dein cõplura oſtendit, quę finitionẽ hanc comitentur abſurda: itaque finitionem aliam ipſe eorũ propriam reddit, quæ ſolis omnibúſq; ineſt ad aliquid pertinentibus. Ne enim graſſari inuehíq; in antiquos videatur, ipſorum prius explicat finitionem: atq; oſtenſis quæ ipſam conſequuntur abſurditatibus, ſuam deinceps finitionem citra inuidiam cõmunit. Cæterum ſciendũ eſt, quæ ſunt ad aliquid, prorſus à recto caſu incipere, atq; ad vnum ex obliquis referri: vſúq; interim venire, vt ad quem aſſignantur, ad eundem & cõmeent, vt pater, filij pater: & filius, patris filius. Quandoque autem nõ ad eundem ad quẽ eduntur, ſed ad alium reciprocant: vt in ſenſu & ſenſili: eſt enim ſenſus, ſenſibilis rei ſenſus, hîc ad genitiuũ aſſignatio eſt: verũ non contrà ad genitiuũ, ſed ad ablatiuũ reflectitur, vt ſenſibilis res, ſenſu ſenſibilis. Et verò attributio ad accuſatiuum fit ſæpenumero: vti cũ dicimus, verberãs vapulantem verberat: eáq; ad ablatiuũ cõuerſionem facit. nam vapulans, à verberãte verberatur. *Ad aliquid verò dicuntur talia.*

Id eſt quæcunq; ipſa non ſecundum quam ſunt naturam, ſed hoc ipſo quòd aliorum eſſe dicuntur, eo ſunt ad aliquid. Verbi cauſa homines ſunt pater & dominus, ſi ergo accepti hac ratione fuerint, non ſunt ad aliquid: ſed quatenus relationem ad aliud obtinent, ad aliquid dicuntur. Dexter quoq; homo, nõ qua ratione homo, alterius dexter vocatur: ſed quatenus dexter. Verbo autẽ dicitur vſus eſt, vt cui hæc minime placeat ſententia: oſtendet enim multa, quæ finitionem ſequuntur, abſurda: aliámque ipſe finitionem ponet: *Quæcunque ea ipſa quæ ſunt eſſe aliorum dicuntur*. Vt dexter homo, non qua ratione homo eſt, alterius dexter appellatur: verum qua dexter. *Vel quouis modo aliter ad aliud*. Quoniam ad genitiuum aſſignationem fecit, cum ait, eſſe aliorum dicuntur, ne ad ſolum genitiuum quæ ſunt ad aliquid depromi putaueris, vel quouis, inquit, aliter modo: id eſt ſiue ad genitiuũ, ſiue ad accuſatiuum fiat accommodatio. *Sunt porrò talia quoque ad aliquid, vt habitus, diſpoſitio, ſcientia, ſenſus, poſitio*. quoniam priora quanti ſunt, hæc autem qualis, meritò ſeiungere ea viſus eſt, cum dixit: Sunt porrò talia quoque ad aliquid. Vel quoniam ad genitiuum caſum ſuperiora aſſignauit, quæ ad eundem rurſus reciprocationem obtinebant, hæc vero ad ablatiuum reflectuntur, ea velut ab alio principio data opera ediſſerit. Exemplis autem exponendis modum nobis præbet relatiuorum reflexionis: hæc enim vt antedixi ad genitiuum edita, conuerſionem ad ablatiuum faciunt. Eſt enim habitus, habilis rei habitus. Hîc ad genitiuum aſſignatio eſt, reciprocatio autem ad ablatiuum: nanq; habilis res, habitu habilis eſt. Similiter & diſpoſitio, diſponi aptæ rei diſpoſitio: & apta diſponi res, diſpoſitione diſponi idonea: & ſcientia, ſcibilis rei ſcientia: & ſcibilis res, ſcientia ſcibilis.

Sunt autem & accubitus & ſtatio & ſeſſio poſitiones quædam: poſi- 32
tiones vero ad aliquid ſunt. iacere autem & ſtare vel ſedere, ipſa quidem non ſunt poſitiones, denominatiuè vero dicuntur ab ijs quæ dictæ ſunt poſitionibus.

Sunt vero & accubitus, & ſtatus, & ſeſſio, poſitiones quædam.

Cum ad aliquid eſſe dicere & accubitum & ſtatum & ſeſſionem velit, id probat ex genere, poſitione inquam, quæ genus dictorum eſt, ipſa vero ad aliquid: eſt enim poſitio, ſitę rei poſitio. Quòd ſi genus ad aliquid eſt, huius quoq; ſpecies (eæ autem ſunt quas enumerauimus) conſtat ad aliquid referri. Aut enim corpus erectum totum eſt, & ſtatus nominatur: aut obliquum totum iacet, dicitúrq; accubitus: aut partim ſtat, partim iacet, ac ſeſſio nuncupatur. Cæterum quærendum eſt, ſi hæc relatiuis ſubijciantur, quæ nam ad ſitus prædicamentum reducemus? Dicimus ergo aliud ſtatum eſſe, & aliud ſtare: aliud accubitum, & accumbere aliud: ſeſſionem quoque, & ſedere aliud. Status enim & reclinatio & ſeſſio ipſam habitudinem declarant: ſtare autem, & recubare, & ſedere, non habitudinem modo, verum ipſam quoque reclinatam ſubſtantiam indicant, & ipſam in qua fit reclinatio, eodem & in cæteris modo. Illa igitur vt pote habitum ſignificantia, ad ea quæ aliquò ſpectant ſeſe recipiunt: hæc autem cum habitu res quoq; circa quas habitus eſt declarantia, ſub ſitus prædicamentum referuntur. Quem enim ad modum aliud in tempore eſt, aliud tempus: & aliud in loco, aliud vero locus: (continua enim quanta ſunt tempus & locus: ipſum autem in loco in prædicamentum vbi: ipſum verò in tempore, in quando confertur) perinde in his quoq; res ſeſe vti dictum eſt habet. id quod ipſe quoq; aperiens intulit: *Recumbere autem, vel ſtare, vel ſedere, ipſa quidem poſitiones non ſunt, cæterum ſunt à poſitionibus quas diximus denominatiuè deſumpta*. Non verò ſiquid denominatiuè dicitur, idẽ illi eſt à quo dicitur: ſtare enim à ſtatu, accumbere ab accubitu, ſedere à ſeſſione nominatur. Quo autem modo à ſpeciebus poſitionis deducta hæc ſunt, eodem quoq; ab horum genere hoc eſt poſitu ſitum eſſe, quod prædicamentorum vnum eſt, tranſferetur: ſiquidem hoc eius quod eſt recubare & ſtare & ſedere, cognatum eſt genus. Quare ſpecies vna ad aliquid ſe referentium, hoc eſt poſitio, vnum quod eſt ſitum eſſe prædicamentũ peperit. Nec quidquam mirum, cum & tempus prædicamentum quando, & locus prædicamentũ vbi, quæ ſpecies quanti ſunt, pariunt: non enim tempus ipſum eſt quando, nec locus vbi, ſed res quæ in tempore ac loco fiunt.

33 Ineſt autem & cõtrarietas in ijs quæ ſunt ad aliquid:vt virtus vitio contrarium,cũ ſit vtrũque eorum ad aliquid:& ſcientia ignorantiæ. Non autem omnibus ijs quæ ſunt ad aliquid inſunt contraria: duplici enim nihil eſt contrarium,neque triplici,neque vlli talium.

2 *Ineſt autem & contrarietas in ijs quæ ſunt ad aliquid, vt vitium virtuti contrarium, cum ad aliquid ſit vtrumque:& ſcientiæ ignorantia.*

Cum de ijs quæ ad aliquid referuntur ex veterum ſentẽtia diſputauerit:nunc vult proprium eorum depromere:exponítq;ea prius quæ relatiuorum propria eſſe vidẽtur:re autem vera non ſunt:vti ſanè tum in ſubſtantia fecit:tum in quanto:ne qui parum attentè hæc intuetur,ea propria verè eſſe arbitretur.Ac primum quidem ipſorum prõpriũ eſſe dicit contraria admittere:eſt nanq; contrariũ inquit vitium virtuti,& ſciẽtiæ inſcitia,& iuſtitia iniuſtitiæ:quippe hæc ſingula ad aliud dicuntur: virtus enim ſtudioſi dicitur virtus. & ſcientia,ſcibilis vel ſcientis ſcientia:& vitium vitioſi vitium,reciprocántq;. Verũ non quæcunq; ſeſe habent ad aliquid contrarietatẽ ſuſcipiunt: ídq; haud immerito. Quãdoquidem enim ſtolonibus ſimilia ſunt,vti diximus, relatiua, neq; definitas res ad propriã habent ſubſiſtẽtiam,ſed in prædicamentis alijs reperiũtur, ea quibus adhærent imitãtur: ac vbi contrariũ admittunt prædicamenta, cõſiſtentia quoq; in ipſis obtinent relatiua cõtrarietatem.eorum vero quæ nullum habent contrarium,relatiua nullam admittũt contrarietatem.exempli cauſa, Quoniam ſubſtantiæ ac quanto contrarium eſt nullum,neq; ſubſiſtentibus circa ea relatiuis aliquid erit contrarium,vt triplici.nam triplex ad aliquid eſt (alicuius enim eſt triplex) nec tamen contrarium habet quidpiam: quoniã, vti diximus,prædicamento inhæret cõtrarium nullum habenti,id eſt quanto.Similiter quoq; in ſubſtãtia,vt hero,filio,dextro,ſiniſtro:nihil enim his contrariũ propterea eſt, q̃ ij quibus adhærent,homines inquam,ſint ſub contrario carens prædicamẽtum redacti.Quoniam verò cõtrarium qualitati quidquam eſt, ob id & quæ circa ipſam habentur relatiuis adeſt contrariũ: vt virtuti contrarium vitiũ: & inſcitia ſcientiæ: hæc enim ſunt qualia. Porrò illud ignorandum non eſt,cõtraria hæc alijs eſſe,alijs ad aliquid:vt virtus,ſtudioſi virtus: & ſtudioſus, virtute ſtudioſus. ſimiliter & vitium, vitioſi vitium: & vitioſus, vitio vitioſus:his ergo ad aliquid.Contrarium autem vitium virtuti, & vitioſus ſtudioſo:iure igitur & in ijs quæ ſunt ad aliquid ſpectatur contrarietas,neq; eſt id conſequẽs omnibus. Quærendum vero eſt quo pacto virtutẽ vitiúmq;,& ſcientiam atq;ignorantiã ad aliquid perhibeat. Reſpondemus non eum ex propria hæc ſententia, verũ ſimulanter affirmare, nimirum cum traditam labefactare finitionem velit. Si enim ex eo quòd dicantur aliorũ, quæ ad aliquid ſunt obſignantur, hæc quoq; ad aliquid erunt:nam ea quoq; dicuntur ad aliquid. Virtus enim ſtudioſi virtus:& vitium vitioſi vitium:& ſcientia ſcientis ſcientia:& inſcitia inſcientis inſcitia. Hac autem ratione & prædicamenta accidentis omnia, nouem inquam illa ad aliquid eſſe indicat:ſiquidem omnia ipſius eſſe ſubſtantiæ,quippe cui ſupereueniant,dicuntur.Albedo enim,albi dicitur albedo:& bicubitum, ligni,verbi gratia,bicubitum:& vero quando,& vbi,& facere,& pati,alicuius dicũtur:nõ enim eſt quidquam ipſum per ſe quando, ſed eſt aliquid ſubſtantiæ. Eodem modo & in reliquis. Quin ſubſtãtia quoq; ipſa cum velut pars ſumitur, ad aliud dicitur.nam pars totius fertur pars, & totum in partibus totum. At hoc eſt abſurdum, prædicamenta inquam omnia ad aliquid dici. Porrò quòd prædicamenta euidenter omnia ab ijs quæ ſunt ad aliquid diſcernantur,inde diluceſcit: ſi enim ad aliquid eſſent, finiendis ijs illa ad quæ dicuntur aſſumi oporteret. Nam relata ad aliquid finientes, neceſſario & eorum ad quæ illa dicuntur meminimus.Verbi cauſa cum patrem definimus,filij quoq; mentionem haberi eſt neceſſe: patrem enim filij dices:at cum prædicamenta alia finitione complectimur,ea ad quæ dicuntur cõmemorare haudquaquã cogimur.definientes enim bicubitũ,exẽpli gratia,aliorum deinceps cuiuſquã cuius dicitur bicubitum,vt ligni haud neceſſe eſt meminerimus. Similis etiã in quali,ac cęteris ratio eſt.Ergo ſi prædicamenta ad aliud dicũtur (eſſe enim accidẽtia ipſius perhibentur ſubſtãtiæ,& partes totius,) nec ſunt ad aliquid,conſtat relati-

uorum finitionem perperam redditam,quippe cum prædicamenta quoq; alia cõprehendat.Non enim quod alterius dicitur,ipſum eſſe in hoc obtinet ꝙ dicatur alterius: at obtinent ipſum eſſe in hoc relatiua,quòd ſint ad aliquid. Nam ſiquid eſt alterius, id eſſe & alterius fertur:at non cõtra, ſi perhibeatur alterius quidquam, ipſum quoq; eſſe in hoc iam habet,ꝙ alterius dicatur.Cæterum ſciendum eſt quicunq; à Platone relatiua hoc pacto finiri aiunt, putaréque ipſum in eo relatiuorum eſſe ꝙ aliorum dicantur ſubſiſtentiam, inurere hos philoſopho calumniam.Etenim ꝙ ea non quia dicantur, verum ſint aliorũ obſignet,ex proditis in Gorgia licet cognoſcas. Ait enim ſi agens eſt,patiens quoque eſſe aliquid,eſt neceſſe. eſſe enim dixit,non dici.

Videntur autem & magis & minus ea quæ ad aliquid ſunt ſuſcipere.Si- 34
mile enim & diſſimile magis & minus dicitur:& æquale & inęquale magis & minus dicitur:cum vtrũque ſit ad aliquid:ſimile enim alicui ſimile dicitur, & inæquale alicui inæquale. Non autem omnia quæ ſunt ad aliquid ſuſcipiunt magis & minus: duplum enim non dicitur magis & minus duplum,nec aliquid talium.

¶ *Suſcipere autem quæ ad aliquid ſunt ipſum magis & minus videntur. Simile enim & diſſimile magis & minus dicitur,quorum eſt vtrunque ad aliquid. Dicitur æquale quoque atq; inæquale magis & minus.*

Ad aliud proprium conſequens relatiuorum tranſit ſuperiore improbato,nempe ſuſcipi à relatiuis magis & minus.Dicimus enim hoc illi magis minúſque ſimile:vt album in pariete magis ſimile albo eſſe ei quod in veſte eſt,q̃ quod in niue.Eſtq; conſequẽs hoc ſuperiori non abſimile:ſiquidẽ neq; hoc quæ ad aliquid ſunt comitatur omnia.Pater enim alio patre non dicitur eſſe magis pater,ſimiliter neq; filius:idq; iure optimo. Dictũ nanq; eſt,vbi ſpectatur contrarietas,magis ibi eſſe ac minus:contrà vbi non eſt, nec magis minúſq; haberi. Quibus ergo ſubeſt relatiuis cõtrarietas,in ijs eſt magis & minus: quoniam verò non ineſt cõtrarietas omnibus,nec omnibus idcirco magis minúſque ſuppetit. Fortaſſis verò quiſpiam diſquirẽdo dixerit,in quibus contraria ſunt,in ijs magis quoq; & minus contrariorũ mixtione fieri:eámque ob rem in quanto quoniam non ſunt contraria, nec magis minúſq; haberi. Rurſum ſi æquale & inæquale propriũ eſt quanti,cur hic magis inquit & minus dici æquale? Relatio enim ſi in prædicamento ſit contrarium habente, contraria quoq; ab ea ſuſcipi aſſerebamus : ſin vero in prædicamento quod contraria non admittat, neque ab ipſa contraria excipi.Igitur ſi æquale & inæquale ad aliquid eſt in quanto conſiſtens,contrarium autẽ nullum eſt quanto, nec æquale & inæquale contraria ſunt:vbi vero non eſt contrarium,ibi nec magis & minus:ergo magis ac minus non dicitur æquale & inæquale.Nam ſi fit magis & minus contrariorum mixtione,nec miſcetur æquale inæquali, nec magis quidquam ac minus inæquale fuerit. Quippe minus inæquale,ꝙ æqualis particeps magis ſit,minus inæquale appellatur.Itẽ ſi magis & minus inæquale quidquam eſt, erit & magis ac minus aliquid æquale. Nam quod minus eſt inæquale, eſt id magis æquale magis inæquali: quo ſanè modo minus album, magis albo,magis eſt nigrum. Ergo ſi fieri nequit vt æquale æquali magis minúſque ſit (quod enim ex æquali in plus aut minus egreditur, non eſt amplius æquale) neq; igitur magis & minus inæquale eſt.Priuatio enim magis infinitudóque eſt inæquale,non æquali contrarium.An igitur vel per abuſum hoc loco dixit æquale magis & minus eſſe, minus vtiq; exquiſitè decernens:vel hoc per additionem pòſt adiectum eſt à nonnullis.

Omnia autem quæ ſunt ad aliquid ad conuertentia dicuntur:vt ſeruus 35
domini ſeruus,& dominus ſerui dominus eſſe dicitur:& duplũ dimidij duplum,& dimidium dupli dimidium:& maius minore maius, & minus maiore minus:ſimiliter autem & in alijs.Sed caſu aliquotiens differunt ſecundum locutionem:vt ſcientia ſcibilis ſcientia dicitur, & ſcibile ſcientia ſcibile:& ſenſus ſenſibilis ſenſus,& ſenſibile ſenſu ſenſibile.

Quæcunque verò ad aliquid ſunt ad conuertentia dicuntur: vt ſeruus, domini ſeruus dicitur: & dominus, ſerui dominus. Et duplum dimidij duplum.

Ad aliud conſequẽs tranſiuit relatiuorum, quod præcipuè ipſorum eſt proprium, nempe dici ad ἀντιστρέφοντα id eſt conuertentia. Verùm quò dici ad ἀντιστρέφοντα quid ſit intelligamus, diſcamus ante quid ſit ἀντιστροφὴ id eſt conuerſio reciprocatióq;: hoc autem prius, quid ſit στροφὴ hoc eſt verſio. Eſt itaque στροφὴ, ab eodem in idem reditus: ob id enim & verti dicimus vniuerſum, quoniam circulari motu ab eodem puncto ad idem iterum redit. Nos quoq; verti dicimur cum ex quo incepimus loco, in illum deſiuerimus. ἀντιστροφὴ autem id eſt cõuerſio, velut ἰσοστροφὴ id eſt æquiuerſio eſt: nã ἀντὶ apud veteres Græcos æquale ſignificat: quẽadmodũ & ἀντίθεον pro ἰσόθεον hoc eſt deo æquale ponunt, & ἀνταίνεια quę viris æquatur dicitur: & ἀνταῖχεια digitum magnum appellãt, quòd pares cæteris vires obtineat. Iſoſtrophe verò eſt, cum alterum de altero nihil magis quàm de reliquo prædicatur illud: vt pater nihilo ad filium magis dicitur, quàm filius ad patrẽ. Quæ ergo ſunt ad aliquid, ad conuertentia dicuntur: vt ſeruus, domini ſeruus: & dominus, ſerui dominus. *Verum caſu*, inquit, *Quandoque in dictione different.* Quoniam enim ad genitiuum edidit, propterea ſubiunxit, non ad genitiuum modo quæ ſunt ad aliquid, verum ad alium quoque caſum aſſignari. Quò fit vt neq; ad eundem omnino reciprocent: dictum autem de his iam nobis antea eſt. *Ad conuertentia dicuntur.* Dicuntur ergo ad conuertentia, quę ſunt ad aliquid cũ geminatione: verbi gratia ſeruus duo quædam eſt, & ſeruus, & homo. Dominus itaque ad id quod ſeruus eſt dicitur dominus, quoniam & ad illum reflectitur: non autem ad id quod homo eſt. Æqualitatem igitur ſeruare mutuam debent, quo etiam conuertantur: quemadmodum homo & riſibile: q̃ ſi ſint inæqualia, tunc non reciprocant.

36 At vero aliquotiens non videbitur conuerti, niſi conuenienter ad quod dicitur aſſignetur, ſed peccet is qui aſſignat: vt ala ſi aſſignetur auis, nõ cõuertitur, vt ſit auis alæ. Non enim prius cõuenienter aſſignatũ eſt ala auis: Neque enim quatenus auis eſt, eatenus ala ipſius dicitur: ſed in eo quod alata eſt: multorum enim & aliorum alæ ſunt quæ non ſunt aues. Quare ſi aſſignetur conuenienter, & conuertitur: vt ala, alati ala eſt: & alatum, ala alatum.

Verum enimuero commeare interdum non videbuntur, niſi proprie fuerint ad quod dicuntur aſſignata, ſed peccauerit is qui attribuit: vt penna ſi auis prodita ſit, non reciprocat auis pennæ.

Quæ ſunt ad aliquid æqualitatem ſeruare inter ſe debent vt conuertantur: quo modo conuertuntur homo & riſibile. Quòd ſi ſint inæqualia, maius quidem eſt minori conſequens, vt homini animal: maiori autem minus non item: non enim ſequitur homo animal, vt animal hominem. Eſt ergo relatiuorum regula hæc, nempe æqualitas: vt pater filij: & duplum dimidij: quæ & reciprocant. Quæ verò ſunt inæqualia, non etiam reciprocant: id quod vel ipſe ait, penna ſi auis prodita ſit, non reciprocat auis pennæ: ſiquidem omnis penna nõ eſt auis penna: ſunt enim volucres quædã, quæ aues non ſunt. Volucres nanq; aliæ ſunt fiſſipennes, vt quæ apud nos ſunt, quæ ſolæ etiã aues nuncupantur, vt ipſe in libro de animalium hiſtoria docuit: aliæ cutipennes, vt veſpertiliones: quædam vaginipennes, vt ſcarabæi, quæ non ſunt aues. Quandoquidẽ igitur non inter ſe æqua ſunt penna & auis, ſed penna quàm auis latius patet, exæquare hæc conuenit vt conuertantur. Exæquantur porrò inæqualia vel minore aucto, vel deminuto maiore. Ergo in his ſi id quod minus eſt auxerimus hoc eſt auem, atq; ita fecerimus, penna pennati penna, pennatum, auem appellantes, ſic commeãt: nam pennatum penna pennatum. Rurſus ſi proditus ſit clauus nauigij clauus, hîc non eſt reciprocatio, dicere enim haud licet nauigium clauo nauigiũ: ſunt enim nauigia cõplura quæ gubernaculo careant: vt piſcatoriæ quædã nauiculę quas ἀκάτια Græci nominãt. Quoniam itaq; inæqualia & hæc ſunt. (latius enim nauigij quàm clauí vocabulum eſt) ſi quod maius eſt minuerimus: nauigium inquam, nimirum pro nauigio clauatum dicentes, tunc æqualia reddita conuertuntur: clauus enim clauati

clauus,& clauatum clauo clauatũ.Item caput alicuius dicitur caput,nẽpe animalis. ſi igitur tributũ animali ſit,nõ reflectitur,quoniã non propria rurſum fit attributio. Nam dicitur quidem caput animalis caput,haud verò etiã animal capite animal: ſunt enim animalia quædã quæ capite careant,vt cancer,vermes, terræ inteſtina. Ergo quod maius eſt rurſum minuas oportet,animal inquã,ac facias capitatũ,ſeruabitúrq; hoc pacto antiſtrophe.Nam caput capitati caput,& capitatũ capite capitatum.Igitur in aui quod minus eſt auximus,auem inquã:in alijs verò maius diminuimus,nauigium dico & animal.

Aliquoties autem forte & nomen fingere neceſſe erit, ſi non fuerit no- 37
men impoſitum ad quod conueniẽter aſſignetur:vt temo ſi aſſignetur nauigij:nõn eſt aſſignatio cõueniens.Neq; enim in eo quod nauigiũ eſt,in eo ipſius temo dicitur:ſunt enim nauigia quorum temones non ſunt.Quare non conuertitur:nauigium enim non dicitur temonis nauigium. Sed forte cõuenientior aſſignatio erit,ſi ſic quodãmodo aſſignetur, temo temonatæ rei temo eſt,aut quomodocunque aliter:nomen enim non eſt poſitum:& conuertitur ſi conuenienter aſſignetur:temonatum enim temone temonatum eſt.Similiter autẽ & in alijs:vt caput conuenientius aſſignabitur capitati caput,quàm ſi animalis aſſignetur.Neque enim in eo quod eſt animal,caput habet:multa enim animalia ſunt capita non habentia.

Quãdoq; verò & noua fingere neceſſe forſitã fuerit,niſi poſitũ nomẽ ſit ad quod germane fieri attributio poſſit.

Vt non dicat quiſpiam,quid ergo? nouare conuenit nomina? & vnumquodque vt cuiquam libet cõfingere? ſic igitur vſum omnem nominum aboleri continget,ſingulis pro arbitrio nouas nomenclaturas inuehentibus:ac,quod reliquum eſt, inaudita & quæ nihil ſignificent quiſq; loqui videbitur,pro homine verbi gratia capitatum dicens,pro nauigio clauatum,aut quouis aliter modo noua cuderit nomina.Ad hoc igitur inquit nihil graue eſſe, ſi quibus indidiſſe nomina minus vſus curauit, illis nos ipſi excogitemus. Illis enim quæ vſus noſcit communis,nomina accommodat:at artes nouarum ceu rerum inuentrices,imponere inuentis nomina ad eas ſignificandas debent.Geometra exempli cauſa,cũ triangulum alium duo tantũ habere æqualia latera,alium tria æqualia,alium tria inæqualia repererit,primum æquipedem, alterum æquilaterum, tertium ſcalarẽ nominauit. Similiter & muſicus diuerſis ſonis ſua ſtatuit nomina, vocátq; alium chromaticum, alium diatonicũ,aut aliter quomodolibet.Quoniam ergo talibus decernere nomina & hîc conſuetudo neglexit,nos ea ponere neceſſe eſt. Vocauit quidem conſuetudo nauigium, non verò etiam clauum habentia ab ijs quæ clauo non gubernantur diſtinxit.Nominauit animal,non adhuc vero capite prædita à carentibus diſiunxit appellatione.proinde abſurdi, vti diximus,nihil eſt, fingere in talibus nomina. Quo autem pacto atque vnde imponere ea conueniat,ipſe deinceps aperuit,cum ait:

Sic autem fortaſſe facillime quis ſumet quibus poſita non ſunt nomi- 38
na,ſi ab ijs quæ prima ſunt,& ijs ad quæ conuertuntur,nomina ponantur: vt in ijs quæ prædicta ſunt, ab ala alatum, à temone temonatum. Omnia igitur quæ ad aliquid dicuntur,ſi conuenienter aſſignentur,ad conuertentia dicuntur: quoniam ſi ad quodlibet aliud aſſignentur, & non ad id ad quod dicuntur,non conuertuntur.

Sic verò quiſquam fortaſſe nomina quibus poſita non ſunt ſumpſiſſe poteſt facillime, ſi à primis ea ad ipſa quoque reciprocantibus imponat.

Nunc regulam nobis tradit, qua nomina ſi in communi non comperiantur vſu,appoſitè fingere poterimus.Oportet enim inquit à primis ac propriè prędicatis denominatiuũ illis nomen de quibus prædicantur imponere, atque hoc modo reciprocare ipſa inue-

niemus. Vocemus verbi gratia à clauo nauigium, de quo clauus prædicatur, clauatum: & à capite,caput obtinẽs animal capitatũ, ſimilitérq; in alijs. Atq; hæc rurſus doloſè pronunciat,finitionem labefactare nimirum volens. Si enim ad aliquid ſunt ea quę aliorum eſſe dicũtur,erit & caput,& clauus,& penna ad aliquid,quod eſt abſurdum. Nam hæc vti ſubſtantiarum quidem partes,ad aliquid dicũtur eſſe:pars enim eſt totius pars:& totum, partibus totũ. Vt verò penna,vel clauus,vel caput,non ad aliquid, verũ ſubſtantiæ ſunt: quippe ſingula hæc per ſe ipſa ſpectantur. Nam ſi à toto caput aut manum defecueris,nihilo minus caput vocatur & manus,non partes tamen præterea dicuntur: ſiquidem conſideratur in toto pars. At relatiuis ſi illud ad quod dicuntur dempſeris, ſimul ſtatim & propria nominatio tolletur:vt pater,filij dicitur pater. Verùm ſi filium ſuſtuleris,patrem quoque eſſe ſimul patri adimetur. At quæ dicuntur aliorum, quanquam priuentur illis quorum eſſe perhibentur,propriam nihilo minus nominationem ſeruant:vt caput,animalis dicitur caput, etſi ablatũ fuerit, animalis nihilominus caput vocatur. Clauus autẽ nauigij,& penna auis, ijs priuata quorum eſſe dicuntur,nihilo minus ſunt propriam rurſus nominationem ſortita.

39 Dico autem quoniam neq; eorum quæ indubitanter ad conuertentia dicuntur, & nomina eis poſita ſunt nihil conuertitur,ſi ad aliquid eorum quæ ſunt accidentia aſſignentur, & non ad id quod dicuntur: vt ſeruus ſi non domini aſſignetur, ſed hominis, vel bipedis, vel cuiuſcunque talium, non conuertitur. Neque enim dici poteſt homo eſt ſerui homo:non enim conueniens eſt aſſignatio.

Dico autem ne eorum quidem quæ ad conuertentia proculdubio dicuntur,etſi poſita ipſis nomina ſint,reflecti vllum, ſi ad aliquod accidentium,& non ad ea ad quæ dicitur aſſignetur.

Hinc argumentatio à maiore. Quid enim inquit mirum,ſi in prædictis cõuerſio, propterea q̃ non propriè aſſignatio ſit facta non ſeruetur? quãdo ne ea quidẽ quæ ad aliquid conſenſu omnium ſunt, dicuntúrq; ad conuertentia, nec poſitis carent nominibus,reflectuntur,niſi conuenienter facta aſſignatio fuerit. Exempli gratia,ſi dominũ non ad ſeruum quiſquam,ſed ad hominem aſſignauerit, dicátq; dominus hominis dominus,non poterit reflexione vtens dicere homo domini homo: eſt enim hoc ridiculum. Nam dominum quidem dicere hominis dominum,haud ſanè graue eſt:hominem verò domini hominem appellare,abſurdiſſimum. Quoniam igitur non propria & in his facta eſt attributio, neq; cõuerſio ſeruatur:quippe nõ ad æquale aſſignationẽ fecimus:cum homo amplius pateat. Itaq; exæquari mutuò vt diximus debent reciprocantia, quo etiam conuertantur:eo enim & propria ad ea quorum propria ſunt,quoniam & inter ſeſe exęquantur, cõmeant. Hæc ipſa verò ediſſerit omnia, nimirum finitioni opitulans dicenti,quæ ſunt ad aliquid, eo eſſe q̃ aliorum dicantur: & conuerti ſecundum hanc finitionem quæ ſunt ad aliquid oſtẽdere conatur:quam vult quoad fieri poteſt cõmunire:ne eam damnare indicta cauſa videatur. Deinde poſt eam iure confutare vult:vtiq; oſtendens vel poſt tantũ patrocinium,complura tamen haberi,quæ ipſam comitentur incommoda.

40 Si tamen conuenienter aſſignetur ad quod dicitur,omnibus alijs ſublatis quæcunq; accidentia ſunt, relicto autem ſolo illo ad quod aſſignatum eſt conuenienter,ſemper ad ipſum dicetur: vt ſi ſeruus ad dominum dicitur,circunciſis omnibus quæ accidentia ſunt domino,vt eſſe bipedem,vel ſcientiæ ſuſceptibilem,vel hominem:relicto vero ſolo quòd dominus eſt: ſemper ſeruus ad ipſum dicetur:ſeruus enim domini ſeruus dicitur. Si autem non conuenienter ad id ad quod dicitur aſſignetur, circunciſis omnibus alijs, relicto autem eo ſolo ad quod aſſignatum eſt, non dicetur ad ipſum. Aſſignetur enim ſeruus hominis, & ala auis, & circuncidatur ab ho-

mine eſſe dominum:non enim amplius ſeruus ad hominem dicetur: cum enim dominus non ſit,neq; ſeruus eſt. Similiter & de aue, ſi adimitur eam alatam eſſe: non enim amplius erit ala ad aliquid. Cum enim non ſit alatum,nec ala erit alicuius.Quare oportet aſſignare ad id ad quod conueniẽter dicitur:& ſi ſit nomen poſitum,facilis erit aſſignatio:ſi autem non ſit, fortaſſe neceſſarium erit nomen fingere.Si autem ſic aſſignentur, manifeſtum eſt quoniam omnia quæ ad aliquid ſunt,ad conuertentia dicuntur.

Item ſi congruenter aſſignatum ad id quod dicitur fuerit, alijs quæcunque accidentia domino ſunt omnibus præciſis, vt eſſe bipedem,capacem ſcientiæ, hominem, hoc autem ſolo nempe eſſe dominum relicto, ſeruus ad ipſum perpetuo dicetur.

Regulam nobis tradit eorum quæ de aliquo propriè reddita ſunt:ait enim,Quodcunq; pluribus fuerit appellatum nominibus, ſi aliud quicq̃ ſit quod de horum nominum vno prædicetur,veliſq; an propriè de illo dictum nomine prędicatum ſit cognoſcere,cæteris omnibus amputatis nominibus,& ijs quæ ſubiecto accidunt,illo autẽ duntaxat ad quod aſſignatum prædicatum eſt relicto,ſi ipſum ad id reciprocare quod de eo prędicatur inueneris,prius illud appoſitè redditum ſcito:neq; enim reciprocaſſet, niſi adhibitum conuenienter foret. Exempli gratia,ſeruus ſi prodatur domini ſeruus,quandoquidem domino accidit eſſe homini,& bipedi,& ſcientiæ capaci: ſi hęc ab ipſo omnia detraxeris,ac perinde quaſi omninò non ſint ſuppoſueris, dominúmq; eſſe reliqueris duntaxat, comperies nihilo minus proprie conuerſionem fieri:dominus enim,ſerui dicitur dominus. Quòd ſi non ad dominum ſeruus, ſed ad hominem referatur, cæteris omnibus exuto homine, domino inquam,bibede,ac reliquis,haud ſeruabitur conuerſio: dici enim reciprocando nõ poteſt,homo,ſerui homo: itaq; non propriè ſeruus ad hominem aſſignatur.Si alia inquit,quæcunq; domino accidentia ſunt omnia præcidas,vt eſſe bipedem,ſcientiæ capacem hominem.Nihil mirum eſt,quòd accidere hæc dixerit, quandoquidem poſſunt ad ſerui relationem, accidentia, ſecũdóq; de ipſo prædicata cenſeri:primus autem & per ſe dominus eſt. Eorum enim reſpectus quæ ad aliquid ſunt, vt ſupra docuimus, ipſe per ſe ceu non conſtans,quandoq; eſſe in ſubſtantia,interdum in quantitate,vel quali,vel prædicamentorum alio quopiam indicat.Itaq; non ineptè quis duplo,quod ad aliquid eſt,cũ in ligno verbi gratia fuerit, accidiſſe lignum dicit:cũ in lapide,lapidem:cũ in ſuperficie, vel in tẽpore,tẽpus,vel ſuperficiem:nimirũ cũ reſpectus per ſe cogitatione cõſideretur.

Videntur autem ad aliquid ſimul eſſe natura,& in plurimis quidem ve- 41
rum eſt:in aliquibus vero non verum. Simul enim duplum & dimidium ſunt,& cum ſit dimidium,duplum eſt:& cum ſit dominus,ſeruus eſt:& cũ ſit ſeruus,dominus eſt.Similiter autem his & alia. Simul autem hæc aufe-
runt ſeſe inuicem.Si enim non ſit duplum,non erit dimidium:& ſi non ſit dimidium,non erit duplum: ſimiliter autem & in alijs quæcũq; talia ſunt.

Videntur autem quæ ſunt ad aliquid ſimul eſſe natura.Atque in plurimis quidem verum id eſt: in quibuſdã autem ſecus.Simul enim & duplum eſt & dimidium.Ac ſi ſit dimidium,duplum quoque eſt.

Aliud relatiuorum poſt id quod eſt dici ad conuertentia conſequens proprium tradit, nempe ſimul eſſe naturâ. Sed quónam pacto naturâ ſimul ſunt relatiua? nam ſimul quidem naturâ ſunt pater & filius,poſſeſſor vero & poſſeſſio quónam modo? Solutio. Quæ ſunt ad aliquid,non rerum naturam,ſed quem ad aliud reſpectum habent contemplantur. Pater igitur nõ vt ſimul naturâ ſit qua ratione homo eſt habet,ſed quatenus relationem ad filium obtinet.Sunt porrò ea ſimul naturâ,quorum vno poſito alterum quoque inferri,& ſublato tolli neceſſe eſt:& nunquam ſi alterum ſit alterum non eſſe poteſt. Simul enim ac ſeruum dixeris, herum ſimul neceſſe eſt mente concipias: & ſi duplum ſit, neceſſe quoq; eſt eſſe dimidium. In plurimis autem eſſe verum dixit, quoniam de alijs nonnullis eſt dubitationem allaturus,quæ ſimul natura eſſe nequaquam videntur.

42 Non autem in omnibus his quæ ad aliquid verum videtur, eſſe ſimul natura. ſcibile enim ſcientia prius videbitur eſſe, nanq; in pluribus, præexiſtẽtibus rebus ſcientias accipimus: in paucis enim vel nullo quiſquam hoc perſpiciet ſimul cum ſcibili ſcientiam eſſe factam.

Cæterum non in omnibus quæ ſunt ad aliquid verum id videtur quod eſt ſimul natura eſſe.

Affert ad quod dixit inſtantiam, nimirum quod eſt ſimul eſſe naturâ, cõpetere iis quæ ad aliquid ſunt non omnibus videri. Nam ſcientia & ſcibile, quanquam ſunt ad aliquid, non ſimul tamen exiſtunt: tollitur enim & ſcientia ſublatis ſcibilibus: ſiquidem hæc niſi ſint, cuiuſnam erit ſcientia? At ſi non ſit ſcientia, ſcibilia eſſe nihil prohibet. Non ſunt ergo hæc ſimul naturâ, & ad aliquid ſunt. Eſt verò ipſum prius duplex, tempore vnum, alterum naturâ. Prius id tẽpore eſt, quod ab ipſo nunc abeſt longius, vt in præterito. Idcirco enim Medica bella Pelopõneſiacis priora aſſerimus, ꝙ à præſenti longius diſtent.* Prior enim craſtino eſt dies perendinus, prius ergo tempore, tale eſt. Naturâ autem prius eſt, id quod ſecum tollit, nec ſimul tollitur: quódq; non ſecum infert, ſed ſimul infertur: vti res ſeſe in animali habet atq; homine. Videri itaq; poteſt ſcibile ſciẽtia naturâ prius: non eſt enim ſcientia ni ſcibile ſit: at ſcientia quãuis non conſtet, eſſe tamen poteſt ſcibile. Sanè Thaletem tradunt Mileſium primum lunaris defectus cauſam animaduertiſſe, cum lunam à ſole lumẽ mutuari intellexiſſet: propterea ꝙ ſolis receſſu augeſcens illuſtratam partem ad occaſum habeat: ſole tunc magis occiduo: eius vero cornua, & pars vacans lumine ad ortum vergant. Cum tota ſolem aduerſum reſpicit, ab eo per diametrum abſens, tunc ſplendeſcit vniuerſa, tota toti ſoli aſpectu incumbens: totam autem voco, nimirum ſecundum partem nobis conſpicuam. At quando ſeſe à coitu ſolis recipiens decreſcere inceperit, tunc contrà, pars lumine affecta ad orientem ſpectat, ſole eo tempore magis ortum tenente: quę autem luminis expers eſt, ac cornuum ſpeciem præfert, ad occaſum declinat. Hinc igitur lunæ deliquium animaduertit: quoniam ea cum in terræ, vt vocant, obumbrationẽ inciderit, ſole qui inferius hemiſphærium perlabitur ipſi ad perpendiculum oppoſito, abſolutam defectionem qua ei ratione contingit, perpetitur, ſolaribus in ipſam radijs nequaquam impingentibus: certè non niſi in ſolo plenilunio hoc accidit. Ergo ſi Thales lunarem defectum nouit primus, ſcibile ante ipſum, lunarem inquã defectum fuiſſe conſtat, eius vero ſcientiam non fuiſſe: ſcibile igitur ſciẽtiæ, apertum eſt, & tempore & naturâ anteire: neq; ſimul eſſe hæc, quanquam ſint ad aliquid. Eodem modo nec ſenſus eſt, ni ſit ſenſibile. Cuius enim ſenſus erit? attamen niſi ſit ſenſus, ſenſilia eſſe nihil vetat: vt ignem, terram, eiuſq; generis reliqua. *In paucis enim quis vtique aut in nullo ſimul cum ſcibili fieri cernat ſcientiam.* Quoniam dixit, rebus enim magna ex parte præexiſtentibus ſciẽtias capeſſimus, nunc quid ꝑ magna ex parte ſibi velit, expoſuit, in paucis enim quis vtiq; inquiens aut in nullo ſimul cum ſcibili fieri cernat ſcientiam. Hæc autem gratia eorum dixit quæ ab aliqua arte producuntur: hæc enim prius nõ erant: ſed ipſum eſſe ſimul atq; ex arte producta ſunt, habent. Nam antecedunt quidem ſcientiam res naturales: quæ vero ex arte procedunt, ipſum eſſe ſimul cum earũ habent ſcientia. Verbi cauſa excogitauit lectum quiſpiam, quem græci ſtibada vocant, ad dormiendum: hîc ſcientia quoq; ipſum eſſe ſimul cum ſcibili obtinet. Id verò etiam in figmentis videas licet: nã ſimulatq; cõmentus Chimæram fueris, phantaſma quoq; ſeu viſum Chimæræ vnà cum eius prodijt ſcientia. Quemadmodum pictor quoq; eorum quæ primus inuenit ſimul cũ pictura introduxit imagines. Et qui literas docuit primus, is ſimul cum rerum ſcientia literas inuexit. Sed cur verba illa, vel in nullo, adiecit? An & hæc in rerum natura fuere, poſteà verò ſcientias adepta? At hoc maximè in mechanicis licet contẽpleris inuentis: Cuiuſmodi ſunt, quo pacto graue quis moueat pondus, aut aquam in ſublime erigat, aut huius generis quidpiam: hæc enim atque eius notę alia ſimul cum eorum ſcientia conſtat eſſe inuenta. Fortaſſis verò & artificialibus contrà q̃ naturalibus accidit: ſiquidem ſcibilia ipſa in naturalibus, vt dictum eſt, eorum ſcientia priora exiſtunt. At in ijs quæ conſtant arte, ſciẽtiam de ipſis eſſe oportet adeptione priorem, dein ſcibile fieri. Nam facta primũ

**In exẽplari græcó eſt: prior item craſtinus dies perendino eſt.*

videlicet de re aſſequenda excogitatio eſt,ac quomodo conſtare ea poſſit,tum deinde effectus excogitationis conſequitur.Niſi illud quiſpiam dixerit, ſciẽtiam de naui priuſquã facta nauis ſit,etſi in primi inuentoris animo anteceſſerit,nondũ tamen vt propriè ſcientia ſit obtinuiſſe:cum tunc reſpõſura ne excogitationi res ſit,minimè pateat. Forte enim ad imaginationem id vſq; præceſſit duntaxat,cæterum haud egredi in opus valet:quo pacto de Dædalo fertur fabula,quòd alas fabricare ſibi ipſi & Icaro filio excogitauerit.Itaq; ſcibile etiam ipſum quando ſimul cum eius ſciẽtia in opus prodierit, tunc ſcientia quoq; re vera ſcientia propriè eſt, cum ambiguo nullo teneatur. Quare ſimul à ſe mutuò conſtitui ſcibile ac ſcientiam in artificialibus contingit.

Amplius.Scibile ſublatum ſimul aufert ſcientiam : ſcientia verò ſimul 43
non aufert ſcibile.Nam ſi ſcibile non ſit,non erit ſcientia:nullius enim erit ſcientia.ſcientia vero ſi non ſit, nihil prohibet eſſe ſcibile : vt circuli quadratura ſi eſt ſcibilis,ſcientia quidem eius nondum eſt, illa vero ſcibile eſt.

Præterea ſublatum ſcibile ſecum tollit ſcientiam.

Cum quod prius tempore eſt in ſcibili expoſuerit (nam præexiſtentibus inquit magna ex parte reb⁹ ſcientias adipiſcimur) nunc in eodẽ rurſus quod prius naturâ eſt explanat. Nimirum per hoc quòd ſecũ perimat ſcientiam ſcibile,non ſimul ab eo perimatur:quale eſt inquit & quadrangulatio circuli.Quadrangulum Geometræ capedinem vocant,non quæ quatuor ſimpliciter latera & totidem angulos , ſed latera quatuor æqualia & rectos angulos obtinet.Ita verò & angulum rectum fieri aiunt.Nam cum recta linea ſuper directam lineam erecta interiores atq; ad eaſdem partes angulos inter ſe æquales facit,rectus vterq; eſt angulus : & quæ ſuperſtat ei cui innititur perpendicularis nũcupatur:eſt hic igitur angulus rectus. Acutus verò angulus eſt minor recto: obtuſus eodẽ maior. Nam inclinata ea quæ deſuper recta incumbebat, alter maior,minor alter fit angulorum. Minorem igitur,vt dixi,acutum nominant,quoniam huic ſimiles fiunt & acutæ moles quę ad pungendum ſunt,vt cultellus:maiorem autem obtuſum : huius enim inſtar moles fiunt obtuſæ,vt piſtillum,ad dandam impreſſionẽ aptæ. Figuras vero alias rectilineas eſſe aiũt, alias orbiculares. rectilineas, triangulos, quadrangulos, ſexangulos, & quotquot angulis excogitare alias poſſis:orbiculares autem circulos dicunt.Quęrunt ergo Geometræ,quomodo ſuper rectilinea data verbi gratia quinquangula æqualem conſtituere quadrangulum liceat:& quidem id ratione ac via docuerunt. Vt ergo in rectilineis quæſiuere:ita in circulo quoq; ſcrutantur,quo pacto circulo dato æqualem reperire poſſis quadrangulum. Id multi quæſitum non inuenere : ſolus autem Archimedes inuẽtioni proximè acceſſit: ſed exactam tamen rationem non comperit.Ariſtoteles igitur ſi ſcibile,inquit,quadrangulatio eſt circuli , nec dum eſt hactenus eius ſcientia, prius eſſe conſtat ſcientia ſcibile. Non ſolum autem naturâ priora ſcibilia quàm ſcientia eſſe hoc probat exemplum , ſed etiam tempore:nam cum ſcibile ſit quadrangulatio circuli, de eo comperta eſt nondum ſcientia. Hoc verò ſubiunctum naturâ etiam prius eſſe ſcibile quàm ſcientia demõſtrat.

Amplius. Animali quidem ſublato non erit ſcientia,ſcibilium vero plu 44
rima eſſe contingit. Similiter autem his ſeſe habent ea quæ de ſenſu ſunt. ſenſibile enim prius q̃ ſenſus eſſe videtur : ſublatum enim ſenſibile ſimul aufert ſenſum:ſenſus verò ſenſibile nõ ſimul aufert:ſenſus enim circa corpus & in corpore ſunt : ſenſibili autẽ ſublato aufertur & corpus: ſenſibile enim corpus eſt:cum autem corpus non ſit , aufertur & ſenſus. Quare ſimul aufert ſenſibile ſenſum.Senſus vero ſenſibile non ſimul aufert:ſublato enim animali ſenſus quidem aufertur,ſenſibile autem erit corpus:vt calidum, dulce, amarum, & omnia alia quæcunq; ſunt ſenſibilia. Amplius. Senſus quidem ſimul cum ſenſitiuo fit:ſimul enim fit animal & ſenſus:ſen

ſibile verò ante animal aut ſenſum eſt.Ignis enim & aqua & alia huiuſmodi,ex quibus ipſum animal cõſtat, ante ſunt quàm animal omnino ſit,aut ſenſus. Quare prius ſenſibile quàm ſenſus eſſe videbitur.

Item animali interempto non erit ſcientia.

Cum ſuperius in vno ad aliquid relatorum exemplo, ſcibili inquam, conſequens claudicare oſtendiſſet,vniuerſaliter nunc in omnibus demonſtrat. Sublato enim inquit animali,ſcientiæ quoq; adimuntur (ſunt enim in animo ſcientiæ) ſunt per ſe tamen nihilo minus ſcibilia,quamobrem & quæ in ſenſu ſunt,eſſe primum vidẽtur.Cum itaq; in ſciẽtia & ſcibili rationem examinauerit, nunc in ſenſu examinat ac ſenſili : docétq; ijſdem verbis prius eſſe ſenſu ſenſibile:ſecum enim ſenſum tollit ſenſibile: at non tollitur ſenſibile ſimul cum ſenſu:ſunt enim ſenſus in animali : animal autem corpus animatum eſt: ſenſibile vero eſt omne corpus. Quapropter neceſſe eſt perdito ſenſibili & corpus aboleri:neq; eſſe animatum abolito corpore:q̃ niſi animatum ſit,neq; animal eſt:neq; ſublato animali ſenſus eſt, ipſum enim eſſe obtinet ſenſus in animalibus. Itaq; ſublato ſenſibili, neq; erit ſenſus,vti oſtendimus: quandoquidem eſſe ipſum habet in corpore ſenſus omnis,circúmq; id ſolum ſpectatur:effugêre enim ſenſum omnem incorporea,cum neque ſub ſenſum cadant,neq; capacia ſint ſenſus.Quanquam non etiam reciprocat ratio:non enim perempto ſenſu interimitur & ſenſibile. Quamobrem? quoniã animal omne,animatum eſt:omne animatum corpus:non omne autem corpus iam & animatum eſt animal, ſed omne corpus ſenſibile. Quo fit vt vel intermortuo animali nihil alia eſſe vetet complura,vt ignem,aquam,terram,dulce,amarum,ac ſimilia. Ergo probatum ex his eſt priora naturâ eſſe ſenſibilia ſenſibus,quoniam ſecum ſenſus interimunt, nõ illa cum ſenſibus perimuntur: & inferuntur quidem ſimul cum ſenſibus, ipſos autem non ſecum inferunt.Cæterum cum etiam dixerit:*Senſus ſimul cum ſentiente fit.* Argumentationem facit à maiore, atq; eo quod conuenientius ad ſenſibile redditur, ſentiente inquam, ſentiens enim ſenſibilis ſentiens:porrò ſentiens eſt quod particeps eſt ſenſus.Quid igitur dico? nẽpe q̃ ſenſibilia affirmet priora ſenſu exiſtere:quandoquidem ſentiens (animal intelligo) quocum fieri ſenſum natura voluit,eſſe ipſum habet ex ſenſibilibus, igne inquã,& aqua, elementíſq; reliquis. Quod autem ex aliquo , ac velut ex materia potiſſimum fit,illo ex quo fuit conditum,& naturâ poſterius & tẽpore eſt: quare poteſt ſenſibile inquit eſſe ſenſu prius videri. Atque hactenus ipſi quidem progreditur dubitatio:cęterum dictarum inſtantiarum ſolutionem non addidit. Dicendum ad hæc, duplici quæ ad aliquid ſunt ratione intelligi poſſunt,vel vti res ipſæ per ſe abſolutæ,vel vt in mutua quadam relatione coniuncte,vt pater ac filius.Nam ſi patrem in ijs nouerimus vt Sophroniſcum,filium autem vt Socratem, prior erit Socrate Sophroniſcus: eſt enim Sophroniſcus prior,nobis ceu res, ipſos intelligentib⁹: quòd ſi velut patrem ac filium ceperimus,medio carebunt, reſpectu deuincta. Sic ergo & ſcientiam & ſcibile ſi perinde atq; res conſideraueris,prius ſcibile eſt quàm ſcientia : ſin verò vt reſpectum, hæc ſimul ſubſiſtunt: neq; enim ſcibile eſſe aliquod poteſt niſi ſit circa ipſum ſcientia. Exempli cauſa ſidera, quæ ſcibilia ſunt,ſi velut res accipiantur,verſante circa ea ſcientia erunt priora : ſi tanquam ad aliquid ſint, vt ſcibilia inquam,hæc cum ſcientia de ijs ſimul erunt.Nam nec ſcibilia eſſe poſſunt niſi de ipſis ſcientia ſit, ex qua denominatiuè etiam dicuntur. Nam quónam ſcibilia forent? eſt enim ſcibile ſcientia ſcibile:ergo non conſtante ſcientia,quomodo illa ex ea quæ non ſit denominationem habebunt? verum vt res quidem ſunt,vt ſcibilia vero non item.Eadem quoq; de ſenſu ac ſenſili dicemus. Quin & aliter ſoluas , Cum rerum quædam poteſtate,quædam actu ſint: poteſtate habentur ea quæ aliquid eſſe naturâ idonea ſunt,nõdum ſunt tamen : actu verò quæ naturalem etiam poteſtatem actu oſtenderunt . Verbi gratia actu quidẽ,eſt conſummatus grãmaticus,cui nihil ad artem grammaticam deeſt: poteſtate,vt puerulus cui facultas ſuppetit vt grammaticus fiat. In omnib⁹ quoq; quæ ad aliquid ſunt,vt ſeſe habet alterum,ita & reliquum habebit.Nam ſi hoc actu ſit,erit & alterum actu:ſi hoc poteſtate,& illud poteſtate erit. Cum igitur ſcibile vel ſenſile actu fue-

rit,erit actu ſcientia quoq; & ſenſus:ſi ſint poteſtate illa,erunt & hæc poteſtate.Siquis ergo lunarem defectum ante Thaletem vt ſcibile excogitaſſet, erit poteſtate ſcibile, & nõ actu:& verò huius ſciẽtia prorſus & hæc poteſtate adinuenietur. Nam ſi lunaris deliquij ante Thaletẽ nõ fuiſſet ſcientia poteſtate,vtiq; in actũ eius tẽpeſtate nõ prodijſſet. Quod enim prius vt fieret facultate caruit,id fieri prſus nequit in poſterũ.Quẽadmodũ equus, cũ facultate vt ſit grãmaticuscareat,nunq̃ fiet actu grãmaticus:ita ſi lunaris defectionis ante Thaletẽ ſcientia nõ fuiſſet poteſtate, certè neq; Thaletis ipſius tẽporibus in actum proueniſſet. Verùm cũ eius tẽpore conſtiterit actu ſcientia, ſcibile quoq;actu id eſt lunæ deliquium factum eſt:eadem etiam de ſenſu ac ſenſili pronũciabimus.Et verò nunc circuli quadrangulationem,ſi inueniri nunc queat, poteſtate ſcibilem eſſe conſtat, eiúſque ſcientiam poteſtate futuram. Quòd ſi reperiri eam ab hominibus liceat nũquã,neq;erit ſcibile facultate,ſed eſt quidem ceu res,ſcibile vero ne poteſtate quidem eſt:quemadmodum nec hominibus poteſtate ſcibilis eſt arenæ numerus. Hac porrò ratione difficultatẽ quoq;illam ſoluemus, quæ à legum peritis nobis obijcitur: affirmant quippe illi ſeruum eſſe qui hero careat:velut ſiquis moriens inquiunt, teſtamẽto dicat, Talis ſi hoc fecerit, ſeruum hunc famulúmq; meum habeto:ecce hîc igitur,aiunt,nulli addictus domino ſeruus eſt,quandiu iuſſum hæres non exequitur. Itaq; difficultatem etiam hoc loco per poteſtatem & actum ſolui arbitramur.Nam neq; dominus ille actu eſt,neq; hic ſeruus,ſed vterq; facultate: poſtea verò quàm mandatum hæres fecerit, & dominus actu euaſerit, tunc & qui relictus famulus eſt,fiet actu ſeruus. Qua de re verus eſt ſermo,qui in omnibus relatiua inquit ſimul naturâ eſſe.

Habet autem dubitationem vtrum nulla ſubſtantia ad aliquid dicatur, 45
quemadmodum videtur: an hoc contingat ſecundum quaſdam ſecundas ſubſtantias. Nam in primis ſubſtantijs verum eſt:nam neq; tota neq; partes primarum ſubſtantiarum dicuntur ad aliquid.Nam quidam homo nõ dicitur alicuius quidam homo: neque quidam bos, alicuius quidam bos. Similiter autẽ & partes: quædam enim manus non dicitur alicuius quædã manus,ſed alicuius manus. Et quoddã caput nõ dicitur alicuius quoddam caput, ſed alicuius caput. Similiter autem & in ſecundis ſubſtantijs: atque hoc quidem in pluribus: vt homo non dicitur alicuius homo: nec bos alicuius bos:nec lignum alicuius lignum, ſed alicuius poſſeſſio dicitur. In huiuſmodi ergo manifeſtum eſt quoniam non ſunt ad aliquid. In aliquibus vero ſecundis ſubſtantijs habet dubitationem:vt caput alicuius caput dicitur:& manus alicuius dicit manus:& ſingula huiuſmodi.Quare hæc fortaſſe ad aliquid eſſe videbuntur.

❧ *Cæterum dubitationem habet.*

Abſoluta de ijs quæ ad aliquid ſunt veterum finitione,eáq; quàm maximè licuit defenſa:deinde expoſitis quoque relatiuorum conſequentibus,cum propriam redditurus definitionem eſſet,abſurditatem prius quæ traditam ſequitur finitionem oſtendere hinc auſpicatur.Porrò abſurditas eſt,ſecundarum ſubſtantiarum partes ſecundum proditam finitionem reperiri ad aliquid, hoc eſt ſubſtantiam accidens: nam decem prędicamentorum vt diximus vnum eſt ſubſtantia:nouem verò accidentis,ex quib⁹ vnum ad aliquid pertinentium eſt.Ergo ſi partes ad aliquid ſunt ſubſtantiarum , eaſdem & accidentia eſſe quis neget? ſi partes ſunt accidẽtia , totum quoq; erit neceſſariò:ſiquidem conſtat totum ex partibus:ſubſtantia igitur accidens erit:quo quid abſurdius? Cæterum traditur hoc loco ſubſtantiæ nobis id genus diuiſio: Subſtantia vel vniuerſalis,vel particularis eſt:vel totum,vel pars. Hæc igitur quatuor cum ſint ſegmenta , coniugationes rurſum ſex fiunt: quarum duæ,vt ſæpe commonuimus,incõſiſtentes ſunt: nimirum quæ cõtraria coniun-

gunt:non poteſt enim idem & vniuerſale & particulare,& totum & pars eadem ratione eſſe.Conſiſtunt autem quatuor reliquæ,ſubalternas dico,& per diametrum aduerſas.Nã aut iunctum toti vniuerſale,ſimpliciter hominem facit,qui & vniuerſalis eſt:prędicatur enim de indiuiduis,atque ea complectitur,& quoddam eſt totum:ſiquidem totalitas vt ſic dixerim quædam eſt propriarum partium:vt animalis,rationalíſq;. Rurſus vniuerſale ſi parti applicetur,vniuerſalem partem conſtituit:vt ſimpliciter caput,& manum ſimpliciter:vniuerſale quidem, quoniam de particulari capite omni prædicatur aut manu: pars verò,quoniam animalis partium vna quædam propria eſt.At particulare toti complexum,hominem quendam facit,vt Socratem:qui ob id particulare eſt, quòd de nullo prædicatur:totum verò,quaſi partium ſuarum contentiuum.Porrò iterum particulare ſi parti copuletur, caput conficit quoddam, aut quandam manum,vt Socratis: hæc nanq; particularis eſt,quoniam ſolius Socratis: pars autem, q̃ in ſuiipſius integritate ſpectetur. In hoc ſiquidem pars à particulari differt,q̃ ſit in pluribus particulare:pars vni competat ſoli.Harum tres inquit haudquaquam ad aliquid cenſueris: vna autem, quæ vniuerſalis eſt partis,vt caput,vel manus, quod ad redditam relatiuorum finitionem attinet,videri ad aliquid poteſt.Ac q̃ prima inquit non ſit ad aliquid ſubſtantia,clarè dilucet:non dicitur enim Socrates alterius cúiuſpiam Socrates eſſe. Verũ neq; eius pars,particularis pars inquam:vt quædam manus, ne ipſa quidem eſſe ad aliquid poteſt videri : nemo etenim manum quandam dixerit cuiuſdam quandam eſſe manum: quippe ridiculum eſt. Verũ neque ſecunda ea quæ vniuerſale ac totum connectit, homo inquam ſimpliciter: nemo nat q; hominem cuiuſdam hominem,neq; bouem cuiuſdam bouem eſſe pronunciabit: ſed cuiuſdam eſſe bos & homo poſſeſſio dicitur: homo verò cuiuſdam eſſe homo, & bos cuiuſdam bos, non item. Quæ igitur vniuerſale inquit & partem duntaxat iungit,ea ex aſſignata definitione ad aliquid eſſe apparebit : ſimpliciter caput dico, & manũ ſimpliciter:nam caput cuiuſdam caput, & manus cuiuſdam dicitur manus. Mihi verò particulare quoq; & pars eſſe videtur ad aliquid,caput quoddam dico,& quædam manus,quãtum ex finitione præmiſſa colligitur.Si enim eſſe illa dicuntur ad aliquid,quæcunq; ea ipſa quę ſunt eſſe aliorum dicuntur, non pars modo vniuerſalis vt ſimpliciter manus ſimpliciter hominis eſſe dicitur,verum & quædam manus cuiuſdam eſſe hominis perhibetur. Dicimus nanque hanc eſſe Socratis manum: éſtque hoc tum conſuetudo loquendi communis, tum antiquorum vſus refertus : dicimus enim manu mea ſcripſi: huius manum aut caput cecîdi:caput illius tale,ac tales ſunt manus:& hæ manus Ægei:&,Contremuere pedes manantis fontibus Idæ:&, At Iouis haud caput annuit. Quapropter & particulare & pars,alicuius eſt pars: erit ergo id quoque ad aliquid. Quod autem ſecundum dictionem ſequi videtur abſurdum ,facile eſt ſoluere: neq; enim dicere eſt neceſſe quãdam manum cuiuſdam quandam manum eſſe:quoniam nec vniuerſalem manum vniuerſalis cuiuſquam nominamus , ſed hominis manum. Sic ergo & manum quandam cuiuſdam vocamus vt Socrates, præfinitione non addita. Duæ igitur prius poſitæ figuræ partes,vniuerſalis pars & particularis pars erunt ad aliquid : vſúq; vt dixi eueniet ſubſtantiam eſſe accidens.Hoc ergo abſurdum inquit,partes videlicet ſubſtantiarum non eſſe ad aliquid, ex ſupra relatiuorum finitione edita aut ſoluere prorſus non licet,aut non facilè. Itaque finitionem traditam per adductionem ad abſurdum damnat. Eſt autẽ ad abſurdum adductio,vt cum demonſtrare quicquam volẽtes huius acceperimus oppoſitum,atq; huic abſurdum aliquod conſequens eſſe oſtenderimus:deinde ſimul intulerimus ex hoc ideo ſequi abſurdum, quòd falſa data propoſitio fuerit: veram enim propoſitionem nullam aliquid comitatur abſurdi. Quòd ſi falſa hæc ſit propoſitio,huic ergo oppoſita vera erit: Exempli gratia. Si immortalem eſſe animam aſſerere libeat, contrariam huic propoſitionem ſumimus,quæ dicit mortalem:deinde abſurdum quoddam ex ea ſequi oſtendimus,vt contrarium hoc pacto confirmemus.Ergo ſi ſit mortalis anima,non erunt quæ apud inferos geruntur iuſta : ſed quandiu apparet ſolum eſt nobis vita , ſimúlque anima cum corpore interit. Non erit igitur neque operum penſatio bonorum , neque malorum pœna. Si enim in angoribus afflictionibúſque iuſtos complures traducere vitam

omnem cernimus, peccatores autem è vita plurimos celebri gloria atque opibus affluentes exceſſiſſe, nec poſt hac in vita geſtorum vlla examinatio eſt, cum vita hominis in hoc mundo ſolũ ſit, nemo paria meritis accipiet, neq; erit prouidentia. Si enim principe bono ciuitatem adminiſtrante, ordine geri cuncta in ciuitate videas licet, honeſtari donis ac dignitatibus bonos, malos infamia notari, atq; in ſupplicijs verſari: quãto magis cum deus per eſſentiam bonus ſit, qui omnia obtutu vno cognoſcit, ac rebus prouidet vniuerſis, nihil in rebus humanis eueniet abſurdi? Non erit igitur prouidẽtia, niſi eorum ſit quæ viuentes egimus ratio reddenda: hac verò abſurditate quid magis impium? nam niſi erit prouidentia, nihil quod ſit, ordine conſtabit. Quod enim citra prouidẽtiam fit, temerarium id eſt, nullóq; ordine digeſtum: perinde atq; caſu ac fortuito feratur. Cæterũ quòd nõ caſu vita conſtet, aut fortuito regatur, hinc diluceſcit. Rariſſima ſunt quæ caſu vel fortuna eueniunt, atq; ex alijs ſequuntur: naturaliúmq; motuum caſualia, fortuita eorũ quæ fiunt electione ſunt conſequentia. Delatũ eſt verbi gratia ſaxum quodpiam ſuperne naturali impetu deorſum ruens: terræq; alliſum, ac confractis partibus circa id eminentioribus, idoneum ſeſſioni redditũ eſt. Cõmodum igitur ſeſſioni euaſiſſe, caſu factũ eſſe dicitur: quoniam conſecutum eſt naturalẽ ſaxi ad inferna impetum: rarò autẽ ſupernè deuolutus lapis ad ſedẽdum fit aptus. Itẽ equus in bello deturbato domino potum accurrit ſiti confectus: atq; cõmiſſo prælio, cæſóq; cũ omnibus domino ſeruatur: caſu igitur ſuperſtes equus perhibetur fuiſſe. raro nanq; fit vt equus in bello dominũ excutiat, eáq; de cauſa ſeruetur. Rarum etiam eſt id quod fortuitò accidit, ac eas quæ cum electione fiunt appetitiones comitatur. Abijt quiſpiã exẽpli gratia, vt ſeſe lauaret, aut vt dijs vota faceret, atq; venalẽ librum quẽ diu quæſiuerat offendit coëmítq;, hoc forte fortuna accidit: non enim aliqua prouidentia, neq; locum eum adiens vbi venundari libri ſolent, librum cõparauit: id verò etiam rariſſimum eſt. Sunt ergo quæ caſu fortunáq; contingunt infrequẽtiſſima: artificialia vero ac naturalia, demum quæ ex prouidentia proficiſcuntur, ex eorũ numero habentur quæ vt plurimum, ſiue etiam ſemper fiunt. Frequentius enim finẽ aſſequuntur proprium materiarius faber atq; ędificator, quàm eodem fruſtrentur: potiúſq; ſanat medicus, quàm non ſanet. Nam ſi ex æquo ſanaret & nõ ſanaret, à nullo accerſiretur: ac multo minus ſi rarius ſanaret. Et vero infantem cum quinq; digitis crebrius quàm cum ſex creat natura: & cum ſex ob materiæ redundãtiam. Luna in congreſſu cum ſole, ſemper minuitur: inde recedens, augetur. Sol Capricornum tenens, ſemper hybernum ſolſtitium parit: Cãcrum vbi tenet, æſtiuum: neq; aliter aliàs. Surſum quoq; ſemper ignis fertur: aqua fluit deorſum: paritérq; in omnib⁹ tum arte factis, tum naturalibus, ac deniq; ijs quæ ex prouidentia veniunt, id quod ſemper atq; vt plurimum eſt licet, nec contrariũ vnq̃ videre. Apertum eſt itaq; nec mundum caſu, nec eius partes conſtare: atq; ſi ita ſit, cauſam eum habere quampiam videlicet, quæ ipſi præſideat, mundanáſq; res concinno ordine diſponat, quã prouidentiam vocamus. Ergo ſi ſit prouidẽtia, neceſſariò quilibet ꝑ dignitate tractabitur. Quod ſi verũ eſt, cernimus autẽ vti iã diximus multos cõtraria eorum, quantũ ex apparentibus iudices, quæ hac in vita gerunt ſuſtinere: nõ ergo præſenti vita circunſcripta eſt hominum vita. Quamobrem fiet poſt hanc vitã examinatio eorũ quæ viuentes geſſimus vbi prouidentia tribuet cuiq; quod meretur. Hoc ſi ſit, immortalis igitur anima eſt, nec commoritur corpori: permaneat enim oportet ipſa diſſoluto corpore, nec corrumpatur: vt poſt hanc vitam quæ ipſi pro dignitate debentur accipiat. Itaq; hoc loco contemplare quónam pacto immortalem oſtendere volentes animam, propoſitionem huius cõtrariam ſubiecimus, quæ mortalem eſſe pronũciat: aperuimúſq; quoddam ex ea ſequi abſurdum, nimirum colligi ex hoc prouidentiam nõ eſſe: atq; hac ratione immortalem aſſeruimus. Si enim propoſitionẽ quæ dicit animã eſſe mortalem, abſurdi aliquid comitatur: veram autẽ propoſitionem comitari abſurdi nihil poteſt: falſa igitur hæc eſt: contraria autem huic vera, quæ immortalem eſſe affirmat: verum nanq; ex neceſſitate id eſt, quod falſo opponitur. Hæc itaq; deductio eſt ad abſurdũ, quã & hoc loco vſurpat Philoſophus. Vult enim ipſe ad aliquid ſe habentia eo ꝙ aliorũ ſint obſignari: ſupponit autem huic contrarium, quod alijs videtur, nẽpe ex eo ꝙ ipſa aliorũ dicantur, figu-

ram adipiſci. Supponit verò id, ac conſequens abſurdum demonſtrat: eſt autem hoc, ad aliquid ſecundarum partes quoque ſubſtantiarum eſſe, nam & ipſæ aliorum dicuntur: atque hac ceu falſa opinione hunc in modum reiecta ſuam confirmat. Sic autem dicta concludens inquit:

46 Si igitur ſufficienter eorum quæ ſunt ad aliquid diffinitio aſſignata eſt, aut omnino difficile, aut impoſſibile eſt oſtendere, quòd nulla ſubſtantia eorum quæ ſunt ad aliquid dicitur. ſi autem non ſufficiẽter, ſed ſunt ad aliquid quibus hoc ipſum eſt eſſe, ad aliquid quodammodo ſe habere, fortaſſe aliquid contra iſta dicetur. Prior verò diffinitio ſequitur quidem omnia ea quæ ſunt ad aliquid, non tamen idem eſt, ipſa ad aliquid dici, & ipſa quę ſunt aliorum dici.

Itaque ſi finitio deprompta ſufficiat relatiuorum, aut difficilium admodum, aut impoſſibilium eſt nullam ad aliquid dici ſubſtantiam oſtendere.

Hoc autem difficilium admodum eſſe propterea dixit, q̃ defendi quodammodo poſſe videãtur: dicebat enim finitio, ea ipſa quæ ſunt eſſe aliorũ dicũtur. Caput igitur ad aliquid eſt nõ vt caput, vel corpus, ſed veluti pars: nã pars totius eſt pars, ſed verũ hoc non eſt. Siquidem caput, nõ quatenus pars alterius dicitur, ſed in hoc ipſo q̃ caput eſt. Quamobrẽ ſi editam ſupra finitionẽ attendas, quæ dicit ſignari eo relatiua q̃ aliorum dicantur, partes quoq; ſubſtantiarum ad aliquid reperientur: nam & caput alicuius caput dicitur. Quocirca finitio attributa relatiuorum, abſurditatẽ hanc effugere nullo modo poteſt: eam enim ob rem quoniam admodũ difficilium dixit, & impoſſibilium addidit, inexcuſabilem nẽpe abſurditatẽ oſtendens. *Sin minus ſufficiat, ſed ea ſunt ad aliquid quibus ipſum eſſe perinde eſt atque quodam pacto ad aliquid ſe habere.* Nunc finitionem relatiuorũ propriam exponit, atq; inquit, Sin minus ſufficiat, hoc eſt, ſin ſatis nequaq̃ faciat, nec integra ſit nobis data à veteribus finitio relatiuorũ, ſed ea ſunt ad aliquid quibus ipſum eſſe perinde eſt atq; quodam pacto ad aliquid ſe habere, id eſt quibus in hoc eſſentię cardo eſt, q̃ adnixum ad aliud quendam recipiant, forte ad hæc inquit dici aliquid poſſit. Ad quænã hæc dici fortaſſe poſſe pronũciauit? nimirũ ad proditas difficultates: quoniã partes quoq; ſubſtantiarũ ad aliquid eſſe opinãtur. Si enim ſic inquit finitio ſit vti nũc edidimus reddita, obiectis occurrere abſurditatibus facilè poſſumus. Qui autem ſit occurſus ipſe ſubiunxit. *Prior autem inquit finitio relatiua quidem comitatur omnia, non hoc ipſis tamen relatiuis eſt eſſe, quòd ipſa ea quæ ſunt aliorum dicantur.* Non enim ſiquid, ait, alterius dicitur, huic ipſum quoq; eſſe in eo eſt q̃ dicatur ad alterũ: nam ſi alterius eſt quicquã, id alterius quoq; dicitur: at non ſi dicitur alterius aliquid, hoc & alterius iam eſt. Pater nanq; cum filij ſit pater, ipſum in hoc eſſe habet q̃ filij pater ſit: & verò pater etiam filij dicitur. Cæterum caput cum animalis caput nominetur, non ipſum quoq; in hoc habet eſſe q̃ dicatur animalis. Nam & abſciſſum, animalis præterea & dicitur & eſt caput: at pater à filio ſeiunctus, neq; pater eſt, neq; inſuper ad filium dicitur. Quamobrem pronunciatum iure eſt, priorem conſequentem relatiuis finitionem eſſe, priori autem ſecundam non item: id quod & Homerus docet:

Amplius haud poſthac humeris caput inſit Vlyſſi,
Nec me Telemachi patrem quis nomine dicat.

Cum enim pater haud amplius ſit: quoniam non amplius eſt, neque poteſt vocari. Quapropter ipſum dici ei quod eſt eſſe conſequens eſt, nec vice obuerſa. Hoc verò ſi ita habet, partes ergo ſubſtãtiarum cũ eſſe aliorũ dicãtur, ad aliquid hac ratione nõ erunt. Illud verò quærendũ, cur in definitione eorũ quæ ad aliquid ſunt, quæ ad aliquid ſe habent aſſumpſerit: cũ dicit quodã pacto ad aliquid ſe habere: neq; enim includi finitioni cõuenit quod finitur. Ad hoc itaq; duplicia eſſe affirmamus quæ aliò referuntur: dicũtur enim tũ res ipſæ ad aliquid in quibus relatio fit, tum verò ipſa relatio. Quo etiam modo prædicamentum vbi ac quando res ipſas quidem, ſubſtantiam inquam & tempus aut locum ſi-

gnificant:indicant verò & relationem ipſam nudam quam ad tempus aut locum ſubſtantia obtinet. Quandoquidē res igitur ſunt relatione illuſtriores, vt quæ ſenſibus pateant, eas idcirco in finitione accipit,vt præceptionem ex clarioribus conficeret.

Ex his autem manifeſtum eſt, quòd ſi quis aliquid eorum quæ ſunt ad 47
aliquid,definitè ſciet,& illud ad quod dicitur,definite ſciturus eſt. Manifeſtum igitur & ex ipſis eſt,ſi enim nouit aliquis hoc quod ad aliquid eſt(eſt autem eſſe ijs quæ ad aliquid ſunt, idem ac ad aliquid aliquo modo ſe habere)& illud nouit ad quod hoc aliquo modo ſe habet.Si enim non nouit omnino ad quod hoc aliquo modo ſe habet,neq; ſi ad aliquid hoc aliquo modo ſe habet,noſcet. Sed & in ſingulis palā hoc eſt: vt ſi quid nouit quis definitè quod duplū eſt, & cuius duplū eſt mox definitè nouit:ſi enim nullius definitorū nouit ipſum duplū eſſe, neq; ſi ſit duplū omnino nouit. Similiter autem & hoc aliquid ſi nouit quis ꝙ melius eſt,& quo melius eſt, ſtatim definitè neceſſarium eſt noſſe. Propter hæc autem non indefinitè hoc ſciet quòd hoc eſt peiore melius: ſuſpicio enim hæc eſt,non ſcientia. non enim adhuc ſciet exactè, quòd eſt peiore melius:ſi enim ſic accidit,nihil eſt deterius ipſo.Quapropter palàm eſt,quòd neceſſarium eſt, ſi nouerit quis aliquod relatiuorum definitè, & id ad quod dicitur definitè noſſe. Caput verò & manus & eorum ſingula quæ ſubſtantiæ ſunt, ea ipſa quæ ſunt,ſciri definitè poſſunt, ad quod vero dicantur non eſt neceſſarium ſcire:cuius enim hoc caput, vel cuius hæc manus ſit, non eſt ſcire definitè. Quare non erunt hæc ad aliquid.Si verò non ſunt hæc eorum quæ ſunt ad aliquid,verum erit dicere quòd nulla ſubſtātia eorum eſt, quæ ſunt ad aliquid. Fortaſſe autem difficile ſit de huiuſmodi rebus vehementer aſſerere, niſi id ſæpe pertractatum ſit:dubitaſſe autem de horum vnoquoque non eſt inutile.

Eſt verò ex hiſce compertum, ſiquis relatiuorum præfinitè quodpiam norit,eum illud certo quoque ad quod dicitur ſciturum.

Cum propriam relatiuorum finitionem aſſignauerit, quoddam Geometrarum more colligit ex ea corollarium.Porrò corollarium illi vocant quod cum alterius rei demōſtratione reliquum colluceſcit:quēadmodum ſuperius animę nobis demonſtrare immortalitatem ſtudētibus, ſimul eſſe apparuit prouidentiam. Et nobis igitur finitionē relatiuorū hīc veram quærentibus,hoc ſimul apparuit, nimirum ſi relatiuorum quis definitè alterū agnouerit,definitè ab eo ſcitum iri & alterum:atq; ſi teneat alterum indefinitè,reliquum quoq; indefinitè cogniturū.Siquis enim patrem eſſe nouit Sophroniſcum,idem quoq; filium eſſe Socratem intelliget. Nam niſi Socratem norit vt filium, neq; an pater ſit Sophroniſcus cognouerit. Nonnulli verò ad hoc aiunt, ſiquis toto obuelato corpore caput tantū nudum exerat aut manum, in hoc partem quidem,verbi gratia manum vel caput certò agnoſci licere:quippe partem omnino eſſe nouimus: cuius tamē ſit pars haudquaq̄ dignoſcimus,nō ergo inquiunt,qui definitè alterū agnouit relatiuorum,definitè & alterum intelliget.Verum præfinitè nos cognoſcere quidem dicimus vt caput vel manū:nō verò definitè etiam vt partem,ſed indefinite:nō enim cuius ſit pars,intelligimus. Vt autem ſcimus hoc infinitè,ſic & id cuius pars eſt infinitè cognoſcimus.Cæterū poteſt hoc etiam quaſi ſupra citatas dubitationes ſoluens addidiſſe. Quandoquidē enim ad aliquid quę ſimul naturâ non eſſent nonnulla eſſe affirmabat,quippe antecedere ſcibili ſcientiā, & ſenſum ſenſibili (nam plerunq; rebus inquit præexiſtentibus ſcientias comparamus)

huic igitur ſolutionẽ hoc loco inferens ait, ſi ea ſunt ad aliquid quib⁹ ipſum eſſe perinde eſt atq; quodã pacto ad aliquid ſe habere, ergo vt ſe relatiuorũ habet alterum, ita habere & reliquum ſeſe eſt neceſſe. Quare ſi poteſtate ſcientia ſit, poteſtate erit & ſcibile: ſin alterum actu, erit actu & reliquum. Verum de hoc perfectè locuti iam ſumus. *Eodem modo ſi & melius eſſe definitè hoc quidpiam nouit, neceſſe quoque eſt quónam id melius ſit, definitè norit. Non indefinitè verò ſciet eſſe hoc deteriore melius. Exiſtimatio quippe id genus res eſt, nec ſcientia. Non enim exactè etiãnum deteriore eſſe melius nouerit.* Qui enim quòd melius ſit de quoquam cognouit, debet is & ꝙ melius, & cuius rei nomine meli⁹, ſit diſtinctè cognoſcere. Niſi enim qua in re melius ſit cognoſcat, ne an melius ſit quidem dignoſcet. Quomodo enim? cum differentiam neſciat qua melius eſſe illo perhibetur. *Non indefinitè verò ſciet eſſe hoc deteriore melius. Exiſtimatio quippe id genus res eſt, nec ſcientia.* Exiſtimationem hoc loco obſcuram infirmámque cognitionem vocat, quæ velut opinatio eſt, quam græci Δόκησιν nominant. Scientia verò cognitio eſt certa, atq; irrefutabilis exiſtimatio. Quamobrem qui deteriore melius hoc aliquid infinitè nec ſcitè eſſe didicit, perinde quaſi erroribus labefactatam cognitionem habeat, de omnium quoq; deterrimo, materia inquã, quòd melius ſit aliquo ſuſpicari poſſet quandoq;, ignarus diſcriminis penes quid melius, & quo melius ſit, quod eſt abſurdũ. Ex hiſce igitur caput & manum partéſque ſubſtantiarum omnes, quæ & ipſæ ſubſtantiæ ſunt, non eſſe ad aliquid demõſtrat: ſi præfinitè cognoſcere quidem ipſa ſit, ea verò præfinitè quorum eſſe dicuntur non ſit neceſſe. Ad aliquid enim vocabãtur, quoniam vt eorum alterum noris, ita & reliquum neceſſe eſt dignoſcas. Quocirca non ſunt ad aliquid partes ſubſtantiarum. *Cæterum de talibus acriter pronunciare difficile ei forſitan ſit, qui de ijs non identidem conſiderauerit. Inutile tamen haudquaquam eſt de eorum ſingulis dubitando diſquiſiuiſſe.* Philoſophicè admodum hoc loquitur. Quoniam enim manum & caput vt ſubſtantiam quidem dixit præfinitè agnoſci, vt partes vero infinitè, niſi cuius caput ſit aut manus intelligatur, eapropter inquit, qui talia non admodum conſiderauerit, acriter hunc de ipſis pronunciare non oportere. Non de his verò duntaxat, ſed de re etiam qualibet minimè conuenit, addubitare tamen de huiuſcemodi rebus ac difficultates perſequi eſt neceſſe. Nam facultatis initium difficultas, ac quædam ad diſciplinam via eſt. Hæc autem dicit, cum nos eius verbis acquieſcere nequaquã velit, ſed nos quoq; ipſos quæ id genus ſunt indagare: neque aliorum moueri iudicio.

DE QVALI ET QVALITATE.

48 QValitatem verò dico, ſecundum quam quales quidam eſſe dicuntur. Eſt autem qualitas eorum quæ multipliciter dicuntur.

Qualitatem autem eam voco, ſecundum quam quales eſſe quidam dicuntur.

Hoc rurſus loco ordinem qualitatis, inſcriptionis cauſam, qualitatis diuiſionem, ac ordinem diuiſionis ſpecierũ perquirimus. Primũ itaq; de ordine. Conſpicuus autẽ ex ſupradictis is eſt, in quib⁹ docebam⁹ relatiuis ex eo anteponi qualitatis diſputationẽ oportere, ꝙ per ſe hæc ipſa ſpectet, ad aliquid verò pertinẽtia ipſum eſſe in relatione ad aliud obtineant: pluris autẽ ea fiũt, quę ꝑ ſe ſubſiſtũt, ijs quę ipſum eſſe ꝑ ſe ipſa nõ poſſidẽt: quódq; ſublato quali, ſimul quoq; ad aliqd exiſtẽs in eo perimitur: vt albius, & calidius, diſcipul⁹ ac prꝫceptor, ſimiliáq;. Quòd ſi nõ ſint relatiua, qualitatẽ omnẽ eſſe, nil vetat: quippe relatiua ſubſtantiam prorſus non habere propriam, ſed prædicamentis ſuperuenire alijs diximus. Verum vti dicebamus, propterea quòd relatiuorum Philoſophus vbi de quanto diſſerebat, meminiſſet, præceptionem de ipſis confeſtim facere habuit neceſſe, ne diu naturæ ipſorum ignorantia laboraremus. Atq; hæc quidem de ordine. Cur autem duplicẽ titulum præſcribit de quali & qualitate, nec vt in prædicamentis alijs ſimplicem? Dicimus aliud quale eſſe, aliud qualitatem. Qualitas enim, vniuerſalis ipſa qualitas eſt, à qua participantia qualia denominatiuè nuncupantur, vt vniuerſalis albedo, nigredo: quale autem, corpus eſt particeps qualitatis, quódq; ab ea denominatiuè appellatur, vt album corpus, aut calidum. Eſt ergo intellectu ſolo comprehenſibilis qualitas: quale autem cadit

ſub ſenſum. Quandoquidem igitur nomen eſt duplex qualitatis, vel vt ipſum per ſe ſolo intellectu conſideratur, quale ipſum eſt qualitatis genus: vel vt ſenſu perceptibile: duplicem quoque hac de cauſa inſcriptionem fecit. Præpoſuit verò qualitati quale: quoniam, vtpote ſenſibile, eſt notius: ſemper enim à notioribus præceptionem exordiri conuenit. Dicere autem & aliter poſſis: nempe quòd qualitas quoque ipſa quale ſit: nam de quali & qualitate communius prædicatur quale: quo fit vt qualitas quoque quale dicatur: quo pacto & nomen communiter verbi gratia de nomine prædicatur ac verbo. Tametſi enim de qualibus, non de ijs tamen verba facit primum, ſed qualitatis ipſius gratia differit: vt oratio de ea perſpicua velut à notioribus fieret. Diuidit verò qualitatem in ſpecies quatuor: quarum primam habitum & diſpoſitionem vocat: alteram potentiam & impotentiam: tertiam paſſiuas qualitates paſſionéſque: poſtremam verò figuram ac formam. Cæterum vt intelligamus cuiuſnam rei gratia qualitatis ſpecies quatuor dũtaxat, neque plures paucioréſve ſint, ac quam ob cauſam in huiuſmodi eas digeſſerit ordinem, qualitatis diuiſionem quandam faciamus. Eſt ergo vel ſecundum potentiam & impotentiam, vel ſecundum actum qualitas: ſecundum potentiam, vt puerulus eſt facultate grammaticus: ſecundum impotentiam, vt equus qui impos eſt percipiendæ grammaticæ. Sin ſecundum actum ſit qualitas, aut perfectiua eſt, aut deprauatiua ſubiecti, aut nec perfectiua nec deprauatiua. Ac ſi perfectiua quidem deprauatiuáve ſit, aut affectum in noſtro nequaquam ſenſu generat, aut generat. Atque ſi affectum non generet quidem, ægréq; amittatur, habitus: ſin facile, diſpoſitio nominatur. Sanitas exempli cauſa & animi virtus actu & perfectiua eſt, nullúmque affectum inuehit: morbus & vitium ſubiectum deprauant. Perficiunt enim ſubiectum ſanitas & virtus, quoniam & ſecundum naturam ſunt: neq; ingenerant affectum, quippe ſenſibus nullis ſuccumbunt. Niſi forte conſequentia ſanitatis memores, vt colorem probum: vel morbi labefactantis, pallorem. Verum ſanitas ipſa & morbus ſimiliáque nullis ſenſibus occurrunt: vocantur habitus tamen cum diu perdurant, nec facile amittuntur. Nam virtutem obtinere in habitu ſeu vitium dicimur: nec non ſanitatem vel morbum. Quocirca bono quoq; tum frui dicimur habitu, cum intẽta ſanitas fuerit: quin & hecticus quidam hoc eſt habitualis vocatur morbus: maléq; rurſus laborare habitu dicimur. Quòd ſi breui finiantur ac facilè deſerant, diſpoſitiones nominantur. Cæterum ſpeciem hanc eſſe affirmat qualitatis primam, habitum inquã ac diſpoſitionem. Porrò habitum vocant, ſtabilem qualitatem ægréq; dimobilem: diſpoſitionem verò, depoſitu facilem. Sic nanq; habitum rhetoricæ habere eum dicimus, qui non eius rationes ac vias duntaxat nouit, ſed obſiſtere quoque obiectis difficultatib⁹ valet. At qui compos rhetoricæ non admodum eſt, nec facile eius obtinet methodos, alioquin verò qualitate quodammodo rethorica affectus, non hunc quidem rhetoricæ habitu præditum, ſed quodam pacto in rhetorica diſpoſitum appellamus. Quid ergo? non eſt & habitus diſpoſitio? qui enim poſſidet habitum, diſpoſitionem is multo magis obtinebit. Diſpoſitio quippe tum vniuerſalior eſt, tum particularior: ſecũdum eam enim quodammodo ſe habet, qui diſponitur. Nam duplex nomẽ eſſe dicimus diſpoſitionis, alterum generalius, quod & de habitu prædicatur: ſpecialius alterum, quod ab habitu ſeiungitur in oppoſitum. Diſpoſitionem itaq; hoc loco nõ generalem, ſed ſpecialem aſſumpſit, quæ ab habitu ex aduerſo diſtinguitur. Illud vero ſciendũ eſt, de ijs habitus nomen dici, de quibus etiam boni habitus nomen dicitur: habitus enim bonus eſt ipſius habitus intenſio. Ergo ſi boni habitus nomen ſolis animatis tribuere conſueuimus, (nemo quippe bene habere in caliditate ignem dixerit, aut in frigiditate niuẽ) nomen habitus quoq; de ſolis animatis prædicabitur. Sin verò actu exiſtens qualitas, perfectiua deprauatiuáve ſit, ac noſtrum circa ſenſum affectum inducat, paſſiua qualitas nominatur, quaſi noſtro ſenſui affectũ importet. Perfectiua, vt in igne caliditas, aut dulcedo in melle: deprauatiua, vt vini acor, putredóq; in fructibus, alijſq; corporib⁹. Perfectiuæ porrò nõ iniuria dicuntur illæ, ſiquidem ijs formã mel atq; ignis ferunt acceptam: hæ verò deprauatiuæ, quoniã ſubiecti ſunt corruptrices: ſenſui tamẽ omnes noſtro affectũ conciliant. Cæterum non vt ab affectu hæ fieri dicuntur, quandoquidẽ non ſunt per mutationẽ ſub-

iecti quampiam genitæ (de perfectiuis loquor) verum qualitates ſubſtantiales ſubiectorum ſunt, quibus item illa inſigniuntur. Haud verò ſegmentum hoc vt alterum in facile ægréve dimobile ſubdiuidi eſt neceſſe. Nã illud in ſolis animatis viſebatur, in quibus deprauatiuas etiam qualitates & perfectiuas fieri atq; corrumpi voluit natura, ſubiecto eodẽ manente. idcirco & in diuturnas diuidebantur breuíque tempore durabiles: hoc verò in inanimatis ſegmentum ſpectatur, in quibus & perfectiuæ ſubiecti, & deprauatiuę qualitates pariter cum ſubiectis perdurant, ſecúmque & ſubiecta marceſcentes extinguunt, ſeu cum ſubiectis marceſcunt, vt in roſa ſeſe res habet ac malo: quippe horum ſuaueolentia, coloríſq; probitas vbi corrumpitur, ſubiectum quoq; ſecum corrumpit. Verumenimuero habent ſe eodem pacto & deprauatiuæ, cum ſimul & ipſæ cum ſubiectis in quibus gignuntur perdurent atq; intereant, qualis vini eſt acor, ac fructuum, corporúmq; reliquorum putredo. Quòd ſi & deprauatiua in nonnullis qualitas non diu permanẽs reperiatur, vt ærugo in argento, aut huiuſmodi quidpiam, talia quidem potiſſimum quis forſitan magis propriè affectus ſeu paſſiones, quæ ad qualitatem referuntur nominauerit. Quoniam vero prorſus, deprauatiua qualitas perfectiuę prius cõiuncta eſt, propterea q̃ in altera ſubdiuiſionis partẽ, ea inquam quæ perfectiuas ac deprauatiuas nec paſſionem ingerentes capit, conſors in omnibus eſt perfectiuæ, (fiebat enim vel habitus vtraq;, vel diſpoſitio: atq; in ſolis animatis conſpiciebatur.) idcirco & in parte altera, nempe hac propoſita, neceſſariò illi coniuncta, cum ea per omnia eſt delata: neq; in diu breuíque durabile diducta, atq; effigiem quòd affectũ inuehat, potius recipiens, quàm ex eo q̃ ab affectu inducatur. Connexæ hæ porrò inter ſe ſunt perfectiua inquam & deprauatiua, ne multifida diuiſio reddita, poſſet oculis tota incõmodè ſubijci, atq; in eadem ſegmenta diſcerpi cogeretur. Sin nec perfectiua ſit nec deprauatiua qualitas, aut in profundũ penetrat, aut per ſumma diffunditur. Ac ſi alte deſcẽdit, aut difficilis abiectu eſt, aut facilis. Si vix ergo abijciatur, paſſiua qualitas dicitur, quaſi à paſſione innaſcẽs: vt dulcedo in iure: vel ab ortu pallor. Haud verò hæc paſſionem circa ſenſum noſtrum veluti ingenerans vocatur, quãuis ipſa quoq; ingeneret: ſed tanquam à paſſione innaſcatur, propterea q̃ ipſam peculiarius ab eo quod ipſi magis ineſt appellauimus. Id enim ipſius figuram magis expreſſè repræſentat, videlicet ſecundum mutationem ſubiecti eſſe genitam, hoc eſt ſecundum paſſionem, quàm q̃ eãdem ſenſui noſtro inducat. Sin autem reijci queat facilè, id eſt breui tempore permaneat, niſi paruo negocio emendetur expellatúrq;, paſſio dicitur ad qualitatem relata: vt pallor ex diutino morbo: & fuſcus color ex multo ſolis æſtu contractus: quæ ſeſe propterea quoq; ſub qualitatem recipiunt, quoniam proprium & in his conſequens ſeruatur qualitatis, nempe id quod eſt, denominatiuè ab ea, quæ participant appellari. Quod ſi facilè emendetur, paſſio ad pati prædicamentum relata nũcupatur: vt ſiquis expalluerit metu: vel pudore erubuerit. Hæc enim ne qualitates cenſet quidem prorſus appellandas: quoniam nec qui ita affecti ſunt, denominatiuè ex ipſis vocantur. Nemo enim qui verecundia, inquit, erubuit, rubicundum: aut qui impalluit metu, pallidum nominauerit. Tertia autem ex hiſce ſpecies fit qualitatis, quæ ſunt qualitates paſſiuæ paſſionéſq;: paſſiuã qualitatem eam voco, quæ ceu paſſionem intus generat, quæq; vt à paſſione innaſcitur: & paſſionem eam tum quæ ad qualitatem, tum quæ ad pati prædicamentum redigitur. Nam ſunt priora quidem tria qualitates, quarta vero paſſio eſt. Verum quo pacto ſubijſſe hæc in profundum dicimus, pallorem inquam atq; erubeſcentiam, cum circa corporis ſumma duntaxat ſpectentur? Dicimus non ſine mutatione in profundo factam, circa ſuperficiem eſſe id genus qualitatem. Nam ſicuti ab ortu rubicundi, tales temperaturæ eiuſmodi cauſã extitere, ſuperante nimirum in ipſis calore, atq; ad ſuperficiem erumpẽte: ſic rubri quoq; vel pallidi per timorem aut verecundiam redditi, ſine mutatione in profundo tales haudquaquam euaſere. At verò ſi actu qualitas neq; perfectiua neq; deprauatiua ſit, ac ſuperficiem occupet, atq; in inanimatis habeatur imaginariiſq;, figura: in animatis verò, forma ſeu græce μορφὴ nũcupatur: in imaginarijs quidem, vt mathematicis omnibus, triangulis inquam, & circulo, ac reliquis figuris. Hæc nanq; ipſum eſſe in ſola imaginatione obtinẽt. In inanimatis verò, lignis, lapidibus, ſimilibúſque: quippe imaginaria, hoc eſt

figuræ quæ inanimatis inſunt,ea quoq; tali ratione eſſe aut tali diſpoſita pro figurarũ differentijs,faciunt.In ipſis verò animatis vt animalibus omnibus forma ſeu μορφὴ circa ſuperficiem ſolam cõſideratur.Quid ergo,nónne formam habere & ſtatuam dicimus?Verum non prima ratione.Figuram enim habere in primis dicitur,ſecundaria vero ratione & formam:eo enim quoniam animati imitamẽ eſt,in quo & forma exiſtit, forma quoq; de ea abuſiuè dicitur.Habes & ſpeciem quartam qualitatis, figuram inquam ac formam: reddétque deſcriptio diuiſionis faciliorem captu rationem nobis ac viam.Aperuit itaque nobis diuiſio,cuiúſnam rei gratia,ſolæ ſpecies quatuor neque plures neque pauciores ſint qualitatis.Hæc verò de earum ordine pronunciamus.Statuit quidem iure ſpeciem habitudinis ac diſpoſitionis primam: quandoquidem enim circa animata eæ verſantur, præſtãtiora verò ſunt omnibus animata,qualitas quoq; quæ in ijs viſitur iure ſibi primas vẽdicauit.Meritò autem ſecunda per potentiam ſpecies eſt atque impotentiam.Nam quoniam potentia & impotentia naturalis quædam eſt aptitudo: quippe & puerulus naturalẽ quandam habet poteſtatem ſuſcipiendæ grammaticæ vel rhetoricæ:& equus naturalem talium percipiendorum impotentiam:ignis quoq; naturalem calefaciendi facultatẽ obtinet, ſimilitérque id genus alia, ſecũda vero ſunt ab animatis naturalia,qualitatis quoq; per potentiam & impotentiam ſpecies cum in naturalibus rebus viſatur,ſecundũ locum non immeritò obtinet.Quoniam vero naturali quadam ante præditum eſſe aptitudine, dein ſecundum eam aut facere quidquam aut pati cõuenit. Nam niſi prior aptitudo exiſtat,vtiq; nec pati quis poterit aut facere:quãdoquidem Amiantum exempli gratia aptitudine ad hoc vt vratur,vacat:neq; ſi ſexcẽties quis ignem admouerit,conflagrabit:at lignum poteſtate vt vratur præditum,igne adhibito vretur.Habent & paſſiuæ ob id qualitates paſſionéſque tertium inter ſpecies qualitatis ordinẽ : quoniam nemo, vti diximus, facere ſecundum eas aut pati valeat,non prius facultate in eo exiſtẽte aliqua quæ apta ſit ad eiuſmodi res capeſſendas.Cæterum figura & forma cum in ſola ſuperficie conſiderentur,ſedem ſunt poſtremam ſortitæ,paſſiuis qualitatibus atq; affectibus vſque in profundum peruenientibus. Hæc quoq; de ſpecierum ordine . Sciendum verò modis pluribus eandem dici qualitatem poſſe:vt calor in igne paſſiua qualitas eſt,nam ſenſui noſtro paſſionem inducit.In nobis verò,vt febris,paſſiua qualitas nempe à paſſione ingenita.In ferro cãdente,atq; calorem per diem,verbi gratia,ſeruante,paſſio quæ ad qualitatem refertur.Calor autem qui nobis forte iuxta ignẽ fit prætereuntibus,paſſio eſt quæ ſub pati prædicamẽtum redigitur. *Qualitatem autem eam voco,ſecundum quam quales eſſe quidam dicuntur.* Cur qualitatis præceptionem facit per quale? Reſpondemus quoniam manifeſtius quale eſt, vt iam docuimus,velut ſenſui perceptibile. Ac deniq; à quali in qualitatis notionem venimus:quippe album in lacte,in niue,in ceruſſa cõtuiti,in albedinis notitiam venimus: ſimiliter guſtato melle,& palmula,& carica,in dulcedinis intelligentiam deducimur. Ex quali igitur, vtpote planiore,pręceptionem conficit.Porrò ipſum id cui impertitur,quale:id quod impertitur,qualitas eſt.Sed quamobrem verba adiacent illa,ſecundum quam quales eſſe quidã dicuntur?an ob ruborem ex verecundia,& pallorem ex metu?nõ ſunt enim qualitates hæ: quoniam non rubicundi vel pallidi qui ſunt pudefacti ac territi dicũtur:nam anteuertit appellationem mutatio:ſed erubuiſſe atque expalluiſſe:quod appellationem non anteuertit . Eadem de cauſa non ad qualitatem ſed ad prædicamentum pati hæc paſſio refertur:ſiquidem non patientes, ſed paſſi duntaxat nominantur. *Eſt verò qualitas ex eorum numero quæ multifariam dicuntur.* Quónam pacto multifariam? hoc eſt ſecundum ea quæ velut ab vno atq; ad vnum pertinent:ſed non vti vox æquiuoca. Multifariam igitur dici qualitatem affirmat:hoc, cum dicat, non æquiuocè, ſed modo diuerſo appellari indicat.Nam dici multifariam,non æquiuocè ſignificat:ſed hoc in loco,differẽter. Nam ſi æquiuocè eſſet ſumptum,in diuerſa ſignificata diductio fieret.Verum quoniam pro differenter acceptũ eſt,diuiſio idcirco vt generis in ſpecies obitur.Vtrum ergo non eſt qualitas genus?quamobrem igitur ſpecierum eius prima alia dicitur, alia ſecunda? Reſpondemus non quatenus qualitates primam hanc,ſecundam eſſe illam, ſed dignitate duntaxat differre:vt homo quoque differt ab equo.

49 Vna quidem igitur ſpecies qualitatis,habitus & diſpoſitio dicãtur.Differt autẽ habitus à diſpoſitione,quòd permanentior & diuturnior eſt. Tales verò ſunt ſcientiæ & virtutes: ſcientia enim videtur eſſe permanentiũ, & diuturnorum,ſi quis vel mediocriter ſumat ſcientiam:niſi grandis permutatio facta ſit vel ab ægritudine,vel ab aliquo huiuſmodi.Similiter autem & virtus,vt iuſtitia,& tẽperantia,& ſingula talium non vidẽtur poſſe facilè moueri,neq; facile permutari.Diſpoſitiones verò dicũtur, quæ ſunt facilè mobilia:& citò permutãtur,vt calor, & infrigidatio, & ægritudo,& ſanitas,& quæcunq; alia huiuſmodi. Afficitur enim quodammodo ſecundum eas homo:cito autem permutatur,& ex calido frigidus fit,& ex ſanitate in ægritudinem tranſit.Similiter autem & in alijs:niſi aliqua earundẽ contingit per temporis longitudinem congenita & immobilis,vel omnino difficile mobilis exiſtens:quam iam quiſpiam vt habitum vocet.Manifeſtum eſt autem quòd hæc volunt habitus dicere, quæ ſunt diuturniora & difficilius mobilia.Nanq; diſciplinas non multum retinentes, ſed facile mobiles exiſtentes non dicunt habitum habere:& tamen diſpoſiti ſunt aliquo modo ſecũdum ſcientiã peius meliúſve. Quare differt habitus à diſpoſitione, quòd hæc quidem facilè mobilis ſit: ille verò diuturnior & difficilius mobilis.Sunt autem habitus,& diſpoſitiones:diſpoſitiones verò, non neceſſe eſt habitus eſſe. Qui enim retinẽt habitũ:& quodãmodo, diſpoſiti ſunt ſecũdum ipſos:qui autem diſpoſiti ſunt,non omnino retinẽt habitũ.

Species itaque vna qualitatis habitus ac diſpoſitio dicantur.

Species prima qualitatis habitus ac diſpoſitio eſt.Differt verò inquit à diſpoſitione habitus,ꝙ amittatur facilè diſpoſitio,habitus non facilè:quódq; habitus omninò & diſpoſitio ſit,diſpoſitio autem non etiam habitus neceſſariò.*Tales porrò ſcientiæ virtutéſq; ſunt.Videtur enim ex ijs quoq; ſcientia eſſe quæ tenacius adhærent nec facile dilabuntur, tametſi mediocriter ſcientiam acceperis: modo ne magna ſit vel à morbo facta vel alio quoquam eius generis mutatio.* Vocat hoc loco ſcientias non eas quæ certæ & errore carẽtes ſunt, ſed artes abſolutè omnes tenacius animo inſitas. Fit igitur hoc ſignificato, vt ſcientiæ tum grammatica, tum fabrilis ars, tum mechanicæ artes reliquæ ſint: ſtabilis enim ſunt quidam habitus ſingulæ. Tribus autem modis nominatur ſcientia.Nam & cuius ſubiectum offendiculo vacat, atq; ſecundũ eadem ac eodẽ pacto perpetuò habet,ſic dicitur:qua ſignificatione & Geometria, & Aſtronomia,& Arithmetica ſcientiæ habebuntur. Medicina,ſi hoc ſignificatum attendas, nõ item,cum circa ſubiectum fluxile verſetur.Vocatur ſcientia & ea quę ex principijs per ſe fidem facientibus emanat,atq; hęc re vera ſcientia eſt,quam philoſophiam ſuppoſitionibus carentem,ſeu græce ἀνυπόθετον nominant: propterea ꝙ ex communibus animi conceptibus prodeat. Hac porrò ratione neque Geometriam, neque Aſtronomiam, neque vllam eius generis,ſciẽtiam appellabis: quoniam non ex principijs per ſe fidem facientibus oriuntur, ſed demonſtratione indigentibus. Sunt enim Geometriæ principia, punctum, linea,ſuperficies, ac ſimilia: definítque horum quodlibet Geometra, punctum id eſſe inquiẽs cuius nulla pars eſt:lineam verò, longitudinem latitudinis expertem: ac cætera vti habent. At horum demõſtrationem,quamobrem inquam ſine partibus punctũ ſit, vel linea longitudo carens latitudine,non iam quatenus Geometra eſt,nouit: ſed horum faciendas demonſtrationes ad primum philoſophum relegat: cum ſciẽtia nulla ipſa ſui ipſius principia demonſtret. Quæ ergo non ex creditis per ſe principijs proficiſcũtur, ea ne ſcientiæ quidem propriè fuerint,id quod vel Plato affirmat.Cui enim ſunt quæ nõ

nouit principia, media autem finíſque ex ijs ſunt quæ ignorat, quomodo adeſſe huic poteſt ſciẽtia? Eſt verò & tertia quadam ratione ſcientia paratrix viæ, (græci ὁδοποιητικὴν vocant) intelligens quæ antecedere, quæ ſequi conueniat. In quo ſignificato ſciẽtia eſt tum Medicina, tum Mechanica ars omnis: qua ſanè ſignificatione ſcientiæ & hoc loco vſus eſt Philoſophus. Virtutes autem hîc dicit perfectas, eas nimirum quæ & quòd ſit ſciunt, & quamobrem ſit. Sunt enim virtutes aliæ naturales, nam ſunt qui naturalem temperantiam obtinent quandam, aut mites naturâ ſunt: qua virtute bruta quoq; prædita feruntur nonnulla, vt turtur & cornix caſtitate, ciconiæ iuſtitia. Aliæ morales, quæ honeſtum eſſe iuſtitiam, & omnem ſimpliciter virtutem norunt, quam autem ob cauſam honeſtum ſit haud norũt: ſed hoc, qui præditi ijs ſunt ex patribus aut præceptoribus recta opinione inſtituti, intelligũt. Aliæ ciuiles, quæ ſimul & quòd ſit, & quãobrem ſit, cognoſcunt: quædã autem purificæ. Porrò à ciuilibus differũt purificæ eo, ꝙ circa inferiora ciuiles verſentur, honeſtioréſque arripiant voluptates, ac tempus & locum & quantitatem obſeruent: qui autem purè agunt, haudquaquam curent deteriora, voluptatéſq; ſemel contẽnant. Sunt verò & contemplatiuæ quædam virtutes. Itaq; virtutes hîc, vt commonuimus, perfectas intelligit, nempe & ciuiles & purificas & contemplatiuas. *Modo ne magna ſit vel à morbo facta, vel alio quoquam eius generis mutatio.* Conſentaneum enim eſt vt diuturno aliquo vexatus morbo, aut alioquin negocijs impeditus ob poſthabitam meditationem ſcientiam amiſerit. *Dicuntur vero diſpoſitiones eæ quæ ſunt permobiles ac cito mutantur, vt caliditas, & frigiditas, & morbus, & ſanitas, atq; id genus reliqua. Diſpoſitus quidem homo quodam pacto ijs dicitur, non habitum tamen obtinere. Niſi harum quoq; aliqua ipſarum temporis diuturnitate iam in naturam abierit, ſitque inſanabilis aut vix admodum dimoueatur, quam quis habitum forſitan appellauerit.* Talis enim non amplius diſpoſitio, ſed habitus nominatur. In naturam autem inquit abierit, hoc eſt mutata fuerit in naturam, atq; ob conſuetudinem multi temporis ipſa natura euaſerit. *Qui enim participes non admodum ſunt ſcientiarum, eos obtinere habitum haudquaquam dicunt.* Nam qui in grammatica vel rhetorica, de quibuſcunq; rogetur rhetoricæ vel grammaticæ ſpeculaminibus, ad reſpondendum eſt promptus, rationémque de ijs reddit, atq; oborientes difficultates impigrè ſoluit, hũc rhetoricæ habere aut grammaticæ habitum affirmant: ſin eſt aliter qualitate earum quodam pacto ſeu modicè perfuſus, non is quidem habitum obtinere harum dicitur, ſed ijs quodam modo diſpoſitus. *Nam qui ſunt habitus, ij diſpoſitiones quoq;. At quæ diſpoſitiones, eæ non habitus ex neceſſitate ſunt.* Sicut enim de nomine & verbo prædicatur nomen, éſtq; nomen tũ genus nominis & verbi, tum quod à verbo eregione diſtinguitur, ita diſpoſitio quoq; altera vt genus de habitu ac diſpoſitione dicitur, altera vt ſpecies ab habitu in aduerſum ſemouetur. Quo fit vt qui habitus eſt, is & diſpoſitio ſit prorſus, quoniam genus eſt eius diſſpoſitio: at quæ diſpoſitio, non protinus & habitus: nam per contrariam ab ea diſtinctionem dicitur habitus.

Aliud vero genus qualitatis eſt, ſecundũ quod pugilatores vel curſores 50
vel ſalubres vel inſalubres dicimus, & ſimpliciter quæcunq; ſecundum potentiam naturalem vel impotentiam dicuntur. Non enim quoniam ſunt diſpoſiti aliquo modo, vnũquodq; huiuſmodi dicitur: ſed ꝙ habent naturalem potentiam vel impotentiam, facilè aliquid facere, vel nihil pati: vt pugilatores vel curſores dicuntur, non ꝙ ſint diſpoſiti aliquo modo, ſed quòd habeant potentiam naturalem aliquid facile faciendi. Salubres verò dicuntur, eo quòd habeant potẽtiam naturalem, vt nihil à quibuſlibet accidentibus facilè patiantur: inſalubres verò ꝙ impotentiam habeant naturalem nihil facile accidentibus patiendi. Similiter autẽ his durum & molle ſe habent. Durum enim dicitur, quod habeat potentiam non facile ſecari: molle verò quod eiuſdem ipſius habeat impotentiam.

Alterum eſt genus qualitatis, ſecundum quod pugilicos, ac curſorios quoſdam, vel ſalubres, ac valetudina-

rios appellamus,& ſimpliciter quæcunq; ſecundum naturalem potentiam vel impotentiam dicuntur.

Species eſt hæc ſecunda qualitatis,quæ potentia inquam conſtat atq; impotentia. Sed cur genus ipſam qualitatis appellauit?genus enim qualitas generaliſſimum eſt.Aiunt pro ſpecie genus ab eo dictum,ne ſpeciem quis hanc eſſe putaret ſpecialiſſimam.Huiuſce rei argumentum id eſt,ꝙ nõ genus generaliſſimum, ſed genus dixit,vt ſubalternum genus eſſe,ſpeciem vero quę ſub qualitate ponitur indicaret:perinde ac ſi diceremus genus eſſe ſubſtantiæ animal,hoc eſt ſub ſubſtantia. Speciem igitur tradit qualitatis ſecũdam vt diximus,quæ ad potentiam & impotentiam pertinet,ac ſecũdum quam pugilicos,vel curſorios,vel ſalubres,vel valetudinarios vocamus.Porrò eos pugilicos aut curſorios nominat, qui naturam ad horum aliquod idoneam poſſident, hoc eſt qui tales ſunt facultate. Ac qualitatis prima quidem actu ſpecies conſideratur, habitus inquam ac diſpoſitio. Secũda poteſtate.Aliud enim eſt pugilem, aliud pugilicum dicere:& aliud curſorem,aliud curſorium. Quippe actu pugil curſórque eſt, poteſtate vero pugilicus atq; curſorius, qui nondum actu quidem eiuſmodi eſt,cæterum vt talis fiat natiuam obtinet facultatem, id eſt aptitudinem.Qui eſt actu pugil aut curſor,non is amplius per naturalem poteſtatẽ dicitur, ſed habitum vel diſpoſitionem habet. Pugilicum autẽ nominamus infantem cui longæ ſunt manus, tanquam ad certandum ſummis manibus vtiles: & infantem curſorium qui plethoricus non eſt,ſed bene valet. Quomodo vero & impotẽtiam qualitatem nũcupat?quoniam diſpoſiti hac ſumus quodam pacto. Equum enim dicimus, propterea ꝙ tali diſpoſitus ratione ſit, impotẽtiam habere ſcientiæ capeſſendæ. Ac demum in quibus poteſtatem,in ijſdem quoq; impotentiam contemplamur.Nam qui præditus patiendi eſt facultate,habet is & non patiendi impotentiam.Et qui facultate pollet non patiendi,is patiendi impotentiam obtinet.Poteſt enim pugilicus facere,poteſt & non pati ſaluber:quippe ab ægrificis cauſis peſtilentia ſæuiente non facile corripitur: nec facere poteſt conſilio tardus,de quo dictum eſt:Dilatorem operum nunquam non noxa fatigat. Facere non poteſt ignis vt refrigeret:facere non poteſt ignis quin calfaciat.Neque poteſt non pati molle: aut valẽtudinarius peſtilentia graſſante: at pati durum non poteſt. Alia ratio. Quoniam genus idem eſt oppoſitorum.Siue igitur quis hæc vt contraria oppoſita eſſe velit,ſub quo genere vnum habetur cõtrariorum,eodem ſeſe & alterum recipiet:ſiquidem & album & nigrum quæ ſunt contraria, ſub eodem genere videlicet qualitate ponuntur. Ergo ſi ſub quali potentia collocatur,ſub eodem collocabitur & impotẽtia.Siue hæc mutuò aduerſari ſibi per priuationem atq; habitum malis, ea ſic quoq; ad idem genus reduces:nam cuius eſſe fertur habitus generis,huius quoq; priuatio dicetur,vt oculi: eſt enim eius & viſus & cæcitas. Itaq; ſub quo genere continetur habitus,ad idem priuatio quoque reuocabitur.*Non enim quale horum quoduis dicitur quod diſpoſitum ſit quodam modo.* Quaſi dicat non enim ij propterea ꝙ actu ſint,tales dicuntur:ſed quòd eiuſmodi poteſtatẽ habeant.Porrò vocatur tribus modis facultas. Nam aut ex eo nominatur ꝙ ad faciendum ſit quiſquam naturâ idoneus, hoc eſt facultatem quiſquam ad faciendum habeat, aut ꝙ ad patiẽdum, aut ꝙ ad non patiendum. Exemplum. adeſſe valetudinario poteſtatem patiendi dicimus à multa ambulatione,aut ſolis ardore: ſubeſſe verò ſalubri vim à talibus non patiendi: & fabro ianuæ faciendæ facultatem adeſſe. Quot autem modis dicitur potẽtia, totidem & impotentia dicetur.Habet enim qui poteſt pati,impotentiam non patiendi: & qui poteſt non pati,patiendi impotentiam.Non iam vero qui facere poteſt, is omnino & non faciẽdi impotentiã obtinet. Quamobrem igitur vt cum patiendi potentia non patiẽdi quoq; aſſumpſimus impotentiam, non itidem cum faciendi vi impotentiam non faciẽdi commiſimus?Reſpondemus,quoniam res quędam ſunt quæ ad faciendum duntaxat,nequaquam verò & ad non faciendum vim habent: vt in libro quoq; Ariſtoteles de interpretatione inquit : partim vtroq; ſpectare potentiam, partim ad alterum tantum ſeſe habere contrariorum.Ancipitis eſt naturæ quæcunque potentia rationali conſtat ſpecie:poſſidet contrariorum ſolum alterum,quę eiuſmodi non eſt.Poteſt verbi gratia ſanare Medicus, ſed nihilo minus & non ſanare:faber quoque ianuam potens conſtruere,nihilo minus & non conſtruendæ ianuæ præditus eſt facultate . At verò calefacere cum poſſit ignis, non

poteſt præterea & non calefacere: ſimiliter cum adſit & refrigerandi vis niui, non inſuper vis quoq; non refrigerandi præſto eſt. Et Deus cum faciendorum bonorum facultate pol leat, non eſt item & non faciendorum compos. Habéntque iure optimo poteſtatem ad vtrũq; rationabilia: quoniã non in ijs poteſtas ſimul cũ volũtate progreditur. Non enim quæ volunt, poſſunt & ea omnino: nec quæ poſſunt, ea etiam volunt. Deus tamen Opt. Max. comitem voluntati poteſtatem habet. Nam ſi velle quidem dicamus eum, cæterũ quæ velit non poſſe, fatua eſſet voluntas. Quemadmodum fatuus & homo ille eſt, qui ea vult quæ conſequi nequit, vt volare, immortaliſve eſſe. Rurſum ſi poſſe eum quidẽ, non autem velle affirmemus, inanem facultatem obtinebit. Nam ſi facere poteſt quiſquã aliquid, nec facere id velit, omnino non faciet, nec facultatem in actum prouehet. Quapropter inanis erit facultas, quæ nunquam actu illuſtretur. Eam ob rem ipſum in deo poſſe duntaxat dicimus, haud verò etiam non poſſe: quoniam quę poteſt, vult ea quoq;: volens autem, facit etiam prorſus: nec fortè quidem facit, fortè vero nõ facit, ſed facit omnino. Quidquid enim vult poteſt, & vult quidquid poteſt. Porrò hîc voluntatẽ non quod græci βουλεύεσθαι vel βέλευσιν appellant, hoc eſt conſulere vel conſultationem, ſed τὸ θέλημα, hoc eſt id quod lubet, vocamus. Nam neq; conſulere propriè de Deo dicitur aut conſilium, nihil aliud conſilium eſt, vt Ariſtoteles tradit, quàm prudentiæ defectus: quid enim facere oporteat, & vtrum hoc faciundum an illud ſit neſcientes, conſulimus. Nam in quibus eſt præelectio, in ijs & cõſilium eſt, ſi eſt præelectio nihil aliud quidem quàm hoc præ illo eligere: conſilium autem rerum electionis gratia fit: conſulimus vero ignari: ignoramus prudentiæ inopes. Nam minimè eum latent res gerendæ, cui ſuppetit prudentia: quippe virtus ea eſt abſolutiſſima. Ergo ſi Deus quoq; prudentia ipſe eſt, conſilio nõ egebit, ſi per defectum id fiat prudentiæ. Itaq; his de cauſis Ariſtoteles rationalem ſolam eſſe facultatem in vtrumq; dixit procliuem. Verum ſi ſit exquiſitius loquendum, appetendi facultas omnis ad vtranq; partem habet momentum: præter appetitricem verò, tum hac pręſtantior, tum deterior, omnis membrum alterum contradictionis duntaxat poſſidet, vt iam in igne niuéq; monſtrauimus. Igitur ſi faciendi ſolum facultatem in rebus quibuſdam locum habere oſtenſum eſt, haud verò & partem quoq; contradictionis alterã, meritò non vt in patiendo ipſum non pati ex aduerſo collocauimus, ſic volumus in faciẽdo id etiam quod eſt non facere oppoſitum ſtatuere: non enim omnem prorſus facultatem ſequitur impotentia. Porrò & deſcriptionem eorum ac negationum ſic facere conuenit.

AFFIRMATIONES		NEGATIONES
Poteſt facere.	Valetudinares	Non poteſt facere.
Poteſt pati.	Salubres	Non poteſt pati.
Poteſt non pati.		Non poteſt non pati.

Itaq; eas ob res triplicem hanc & ipſe ſpeciem tradit poteſtatis. Ac eam quæ faciendi eſt, inquiens, Pugilici enim vel curſorij dicuntur, non quòd diſpoſiti ſint quodam pacto, ſed facultatem facilè quidquam faciendi habeant: hîc faciendi eſt facultas. Salubres verò appellantur, ꝙ naturalem habeant nihil à quibuſuis facilè patiendi poteſtatem. ecce & ſecunda. Valetudinarij verò, ꝙ natiuam impotentiam nihil à quibuſcunque patiendi obtineant. tertia hîc. Nam habent quidem valetudinarij poteſtatem facilè patiendi, non patiendi vero impotẽtiam, ſalubres contra. Optimè dixit ſalubria non à quibuſlibet affici, vt ab æſtu, vel flatu, aut à quibus deniq; affici ſalubria noluit natura: affici enim poſſent à gladio, vel igne, aut huiuſmodi quouis alio. At morboſa poteſtatem à quouis obuio patiẽdi habent: impotentiam vero non patiendi. Simile his eſt & durum & molle. Habet nãq; illud poteſtatem quo minus diuidatur facilè, atq; huius ipſius impotentiam: molle autem potentiam vt facilè, impotentiam vt minimè diſſecetur.

Tertiũ vero genus qualitatis eſt, paſſibiles qualitates & paſſiones. Sunt autem huiuſmodi, vt dulcedo & amaritudo, & auſteritas & omnia his co- 51

gnata:amplius,& calor & frigus,& albedo & nigredo. Quòd quidẽ igitur & hę qualitates ſunt,manifeſtum eſt. Quæcunq; enim has ſuſceperint,ipſa qualia dicuntur ſecũdum ipſas:vt mel quoniã dulcedinem ſuſcepit,dicitur dulce:& corpus album, quoniã albedinem ſuſcepit: ſimiliter & in cæteris. Paſſibiles verò qualitates dicũtur, non ꝙ ea quæ illas ſuſceperint qualitates,aliquid patiãtur(neq; enim mel quoniã aliquid paſſum ſit dicitur dulce:neq; aliquid aliud huiuſmodi)ſimiliter autẽ his & calor & frigus paſſibiles qualitates dicũtur: non ꝙ ea quæ illas ſuſcipiũt aliquid paſſa ſint:ſed quoniam ſecundũ ſenſus vnaquæq; dictarũ qualitatum paſſionis effectiua eſt,paſſibiles qualitates dicũtur. Dulcedo enim paſſionẽ quãdam ſecũdum guſtum efficit:& calor ſecundum tactum:ſimiliter autẽ & alię. Albedo autem & nigredo & cæteri colores nõ eodem modo ijs quæ dicta ſunt paſſibiles qualitates dicũtur: ſed eo quòd ipſæ ab aliqua paſſione innaſcantur. Quoniã enim fiunt propter aliquam paſſionẽ multæ colorũ mutationes manifeſtum eſt:erubeſcẽs enim aliquis,rubens factus eſt:& timẽs pallidus & vnũquodq; talium. Quare etiã ſi quis natura aliquid talium accidẽtium perturbationúmve paſſus eſt,ſimilem colorem veriſimile eſt eum habere. Quæ enim affectio nunc in eo ꝙ verecũdetur circa corpus facta eſt,etiam ſecundũ naturalem cõſtitutionem eadẽ fieri poteſt affectio,vt & naturalis color ſimilis ſit. Quæcunq; igitur taliũ accidẽtium ab aliquibus paſſionibus difficilè mobilibus & permanentibus principiũ ſumpſerunt, paſſibiles qualitates dicũtur. ſiue enim ſecundũ naturalem cõſtitutionem pallor fit aut nigredo, qualitates dicuntur (quales enim ſecundũ eas dicimur) ſiue propter ægritudinẽ longã, vel propter æſtum talem contigit nigredo vel pallor,& non facilè prætereunt,vel etiam per vitam permanent,paſſibiles qualitates & ipſæ dicũtur:ſimiliter enim quales ſecũdũ eas dicimur. Quæcunq; vero ex ijs quæ facile ſoluuntur & citò tranſeũt,fiunt,paſſiones dicuntur: qualitates verò minimè: non enim aliqui ſecũdum ipſas dicuntur quales. Neq; enim qui propter verecũdiam rubens factus eſt, rubens dicitur:neq; cui pallor propter timorem venit,pallidus eſt:ſed magis eo ꝙ aliquid paſſus eſt. Quare paſſiones quidẽ huiuſmodi dicũtur:qualitates verò minimè. Similiter autẽ his & ſecũdum animam paſſibiles qualitates & paſſiones dicũtur. Quęcunq; enim mox in naſcendo ab aliquibus paſſionibus difficulter mobilibus fiunt, qualitates dicũtur & ipſæ:vt amentia, mentis alienatio,& ira,& alia huiuſmodi:quales enim ſecũdum eas dicuntur,id eſt iracundi,atq; amentes. ſimiliter autẽ & quæcunq; alienationes nõ naturales, ſed quæ ab aliquibus alijs accidẽtibus factæ ſunt difficilè prætereũtes, & omnino immobiles,qualitates ſunt etiã huiuſmodi:quales enim & ſecũdum eas dicuntur. Quæcũq; verò ab ijs quæ facilè & citò prætereũt,fiunt, paſſiones dicuntur:vt ſi quis contriſtatus, iracũdior fiat:non enim dicitur iracũdus,qui huiuſmodi paſſione iracũdior eſt:ſed magis quia aliquid paſſus. Quare paſſiones quidem huiuſmodi dicũtur,qualitates verò minimè.

¶ *Genus vero tertium qualitatis paſſiuæ qualitates ac paſſiones dicuntur. Sunt autem huiuſmodi, vt dulcedo, amaritudo, acerbitas, ſimiliáque his omnia.*

Genus rurſus pro ſpecie dixit. Quomodo autẽ genera ea nuncupauit, ſi ſpecies hæ ſunt qualitatis? Quoniam habent & ipſa ſubiecta ſibi ſpecies alias, quarum ſunt genera. Hoc autem genus quatuor modis conſideratur. Adeſt enim aut omni ſpeciei paſſiua qualitas, vt album omni niui: aut non omni, naturaliter tamen atq; ab ortu, vt nigrũ Æthiopibus. Atq; ſi omni, aut completiua ſubiecti eſt, aut minimè: completiua eſt, vt niuis albedo ac frigiditas: & ignis caliditas ſiccitáſque. Quam enim rationem habet habitus ad paſſiuam qualitatem, & diſpoſitio ad paſſionem, hanc habet album ad frigidum (diſgregat enim vtrunq;) & nigrum ad calidum, cõgregant enim ambo: non tamen hæc eadẽ ſunt. Non completiua verò, vt nigritia coruorum, atq; olorum candor. non enim complet coruum nigritia (vt proditum ſæpe eſt) propterea q̃ deplumatus, niger quidem non eſt amplius, coruus tamen eſt nihilominus. Et aliter. quoniam in definitione ipſorum, non eiuſmodi vſurpamus qualitatũ differentias, niſi ſæpenumero ſubſtantialium differẽtiarum egeſtate coacti. Nihil enim mirum eſt, cum ſimus homines, non in omnibus ſubſtantiales à nobis differentias inueniri, eáq; de cauſa cogi nos, res qualitatibus huiuſmodi ſignare. Si igitur ſpeciei omni competat, completiuáq; ſit, paſſiua qualitas nominatur vt ſenſui noſtro paſſionem ingerens. Sin in tota ſit ſpecie, quam tamen non cõpleat, paſſiua dicitur qualitas velut à paſſione innaſcens, vt nigredo coruorum. At ſi ſpeciei nõ ineſt omni, aut diuturna eſt, aut breui finitur. Si diuturna, rurſus paſſiua qualitas fertur quaſi à paſſione inuecta, vt dulcedo in iure, aut ab ortu pallor ac rubor. Sin ſpeciei nõ omni cõueniat, breuíq; permaneat, nec facilè emendetur abijciatúrq;, paſſio dicitur ad qualitatem relata, vt pallor ex morbo diuturno, aut ex multa hyeme oborta frigiditas. Sin deponatur haud magno negocio, ac facilè confeſtímq; emẽdetur, paſſio ad pati prædicamẽtum pertinens vocatur, vt ex intẽpeſtiuo metu pallor, aut rubor ex verecũdia. Talia enim qualitates appellare non dignatur Ariſtoteles: quoniã non ab ijs denominatiuè participes dicuntur. Deſcriptio autem rurſus diuiſionem faciet conſpicuam ac ſubijciet oculis.

Qualitas paſſiua ſpeciei adeſt.

Omni.		Non omni, naturaliter tamen, & ab ortu, vt albũ Æthiopi.	
Completiua ſubiecti, vt albedo & frigiditas in niue, éſtque ſenſui noſtro paſſionẽ ingerẽs qualitas.	Non completiua ſubiecti, vt nigrũ in corno: & paſſiua eſt qualitas à paſſione innaſcens.	Diuturna, & eſt qualitas à paſſione innaſcens, vt dulcedo in iure.	Breui durans.
		Non facilè emendabilis. éſtque paſſio ad qualitatem relata, vt pallor ex morbo diuturno.	Facilè emendabilis. & paſſio eſt ad ipſum pati relata, vt rubor ex verecũdia.

Non ſolum autem quatuor hæ paſſiuarũ qualitatum ſpecies circa corpus, ſed animum etiam ſpectantur. Nam ſiquis optimo habitu ſit præditus ac ſimpliciter idoneo ad rationalem cõtemplationem, tunc is habitus dici poterit qualitas paſſiua, quòd ſenſui noſtro

passionem inducat,& non quòd à passione generetur: quoniam animæ essentiæ completiuus perfectiuúsq; est id genus habitus. Passionem vero circa sensum producit non corporalem quidem,sed eum qui diuinus & rationalis vocatur. Dicimur itaq; rationes iniuriásque sentire, nimirum animo, & non corporeis sensibus. Furiosos autem ex corporea quadam temperie,vel iracundos,vel huiusmodi alios passibilem qualitatem habere quis dixerit tanquam ab affectu innascentem : qui ex morbo tales euaserunt, passionem quæ sub qualitatem recipitur obtinere: qui sunt ob casum quẽpiam ira correpti, aut quidquã id genus perpessi,passionem eam quæ sub pati prædicamentum confertur. Cæterum constat nos nominibus abutentes hæc dicere:quãdoquidem propriè hæc omnia ad habitum ac dispositionem referũtur.Sunt verò duplici modo passiuæ qualitates desumẽdæ. Nam aut ab eo quòd affectum subiectum sit,ac passiua quædam ei qualitas ex affectu ingenita, qualitatem habere dicitur:aut ꝙ ijs percipiẽdis qualitatibus noster afficiatur sensus, ipsæ vero in ijs quibus hærent non per affectũ fiant,sed naturaliter,vti in igne.Non enim per affectum est igni innata caliditas,nam inest ei substantialiter,eiúsque formatrix est.Similiter quoq; res habet in mellis dulcedine,& niuis candore,ac similibus.Alba tamen caro ab affectu habet albedinem: accidit nanq; ipsi album , neq; adest eidem substantialiter, nec formã indit. Eodem modo & de nigro,& dulci iure, ac similibus dicemus. Afficitur ergo & in his sensus:verum quoniam magis proprium est hæc ab affectu ingenito, quam ab inferendo sensibus affectu nominemus,ideò ipsis hoc primo loco competit: secundo vero & affectum generare. Par siquidem est à magis proprio cognomentum passiuæ qualitatis fieri.Ergo & in melle, quoniam ei dulcedo nõ ab affectu prouenit (ipsum enim informat) idcirco ab affectu sensui inferendo passiua qualitas nuncupatur. *Passiuæ verò qualitates dicuntur.* Duplex est passiua qualitas: vel animo, vel corpori insita. Quæ animo inhæret,aut speciei omni impertitur,vt animi ferocia leonibus: aut nõnullis, & vel ab affectu aliquo ex generatione,vt furor:aut ab accidente,vt improbitas in improbis.Ac quæ corpori insidet,aut omni speciei conuenit,vt albedo niui:aut quibusdam:& aut ab aliquo ex generatione affectu,vt Æthiopibus nigredo: aut nõ à generatione est, sed post ab affectu genita:ídque duplici via. Nam aut inuehit affectum,vt febris:aut vt pallor,non inuehit. *Albedo autem & nigritia colorésq; alij non eodem cum supradictis modo.* Non faciunt inquit affectum qui ab ipsis denominatiuè dicatur:non enim albescit qui album contuetur,velut edulcatur calescítq; is qui dulcedinem calorémque percipit. Cæterum si passiua qualitas albedo nigrórque est,ex quali prodijt affectu,& quem affectum ingenerat? Albedo ab affectu frigido est,nigror à calido:affectus vero non circa habẽtem faciunt,sed cernẽtis aspectum: nã illa visum dispergit,hic cõgregat. *Complures igitur ob affectum mutationes colorum fieri constat.* Cum colores passiuas esse qualitates dixerit,quòd ipsæ ex passione innascãtur,id ita se habere probat ostenditque.Exterriti enim inquit,palescũt, dilecto naturæ sanguine ad cor proprium fontem,vt validam arcem,fontem inquam vitæ confugiẽte: & ideo postremũ partium omnium morte occumbens . Nam si aliqui quibus vulneratum cor est biduum ac triduum viuunt,id accidit arteriarũ beneficio quæ ab ipso proueniũt. Pallidum quoq; & ad tempus & ab ortu vna facit temperatura:fit enim sanguinis defectione:quemadmodum eiusdem abundantia rubicundum & ab ortu & ad tempus reddit.Nam cum pudore afficitur natura,amatum sanguinem sibiipsi veluti velamen obtendit, eorum ritu qui ne cernant indigna manus oculis admouerunt:nobis propemodum dicens illud, Te vero ipsum maxime omnium pudeat.*Quæcunq; igitur huiusce modi accidentia.* Colores accidentia esse dixit propterea quòd alijs affectibus superueniant: vt morbum diuturnum comitatur pallor.Est & quidam substãtialis color,vt album in cerussa vel niue, & rubrum in sanguine, & nigrum in Sepiæ humore . Similiter enim quales inquit & secundum has dicimur: qualitas autem ea est secundum quam quales esse quidam dicuntur . Ergo si quales ab ijs non dicuntur affectibus,qui summoueri facile queunt, hi nec qualitates dubioprocul nominãtur. *Simili his modo & in animo passiuæ qualitates dicuntur atq; affectus.* Non modo enim circa corpus inquit passiuæ qualitates & affectus , sed circa animum quoque spectantur. *Dicuntur qualitates & quæcunque protinus in generatione à quibusdam affectibus qui difficulter amouentur*

genita ſunt. Sicut enim nigrities in Æthiope ab ortu contracta,paſſiua appellatur qualitas: ſic & mentis emotio ab ortu,vel ira, paſſiua qualitas vocatur. *Similiter & quæcunque emotiones aliæ non naturales, ſed ab accidentibus alijs quibuſdam genitæ ſunt,depulſu non faciles.* Rurſus quemadmodum paſſiua dicitur qualitas pallor ex longo morbo contractus,ſic & exorta ab aliquo accidente exorbitatio mentis,vel aliud eius generis quidpiã, qualitas paſſiua nominatur. *Quæ autẽ fiunt ab his quæ facilè diſſoluuntur & citò emẽdantur,affectus dicũtur,qualitates verò nequaquam.* Quales quidam igitur ſecundum has non dicuntur,hoc eſt,finitionem qualitatis non admittunt,nec quales ſecundum eas,qui participant illis nominãtur. Non enim ἐυθυρίας vel ὠχρίας id eſt diu rubicundus vel pallidus habetur is qui in ſolo verecundiæ vel metus tempore ruber aut pallidus euaſit. Non habentur autem, quoniam neq; expectat appellationem mutatio,ſed ij ſub pati prædicamentum recipiuntur affectus. Erubuiſſe enim & expalluiſſe ſolum & aliquid perpeſſi dicuntur,quæ ſpectant ad prędicamentum pati. Eadem vero & in anima dicit: non enim iracundus eſt, qui ſolum iraſcitur tempore quo moleſtia afficitur.

Quartum vero genus qualitatis eſt figura,& circa vnumquodque con- 52
ſtans forma. Amplius autem ad hæc rectitudo,& curuitas, & ſi quid aliud his ſimile eſt:ſecundum enim vnumquodq; eorũ quale quid dicitur. triangulum enim vel quadrangulum eſſe quale quid dicitur,& rectum aut curuum:& ſecundum etiam formam vnumquodq; quale dicitur.

Quartum vero qualitatis genus,figura,& circa vnumquodque forma exiſtens.

Quarta ſpecies eſt hæc qualitatis. Genus autem rurſum dicit pro ſpecie, quæ figura & forma ſeu morphe eſt. Patet vero latius figura quàm morphe. Nam morphe omnis & figuram & morphen habet:nõ habet autem & morphen quidquid eſt compos figuræ. Hac enim de cauſa figuram morphæ antepoſuit,quoniam potior vniuerſaliórque eſt. Dicebamus & paulò ante ſpectari in inanimis aut imaginarijs figuram: morphen in animatis vel naturalibus, & quòd licet inanimatis morphes aliquando nomen tribuamus, id per abuſum magis fit,quòd ſit animatorum ſimulacrum. Inſuper dicebamus hæc iure qualitates eſſe: quandoquidem diſpoſita ſecundum hæc quodam pacto ſunt, quæ ijs participant,atque ab ipſis nominantur. *Ad hæc item rectitudo & curuitas & ſiquid ſimile his eſt.* Denominatiuè enim à rectitudine recta linea dicitur:à curuitate autem curua:ſũntque lineæ affectus rectitudo & curuitas. Eſt verò illud ſciendum, cum punctum, linea, ſuperficies, corpus,quatuor hæc ſeſe ordine conſequantur,à puncto quidem, quoniam ſine partibus eſt, neque affectum,neque figuram recipi,multò minus formam. A linea verò,quæ ſpacium vnum habet,affectum ſolum: nam aut curua eſt, aut recta,aut ſimile: A ſuperficie, cum duabus conſtet dimenſionibus, longitudine inquam ac latitudine, & affectũ admiſſum, & figuram. Affectus itaq; ſunt ſuperficiei anguſtum & latum:figuræ, triangulus,vel quadrangulus, & quæ ſunt huiuſmodi. Propterea enim quòd ſuperficies omnis clauditur lineis,(ſunt enim inquit Euclides ſuperficiei fines lineæ) eapropter figuras quoque iure accepit:cõſtant enim ex lineis figuræ. Ac verò à corpore quod in ſpacia tria porrectum eſt, longitudinem,profunditatem, latitudinem, & affectus ſuſceptos eſſe, & figuras, & morphas. Affectus quidem,craſſum & tenue:figuras, quoniam aut cubica eſt, aut cylindrica, aut id genus aliqua:ſed ſuſcipit morphas quoq; animatum corpus. Quamobrem vero & verba illa adiecit,& ſiquid ſimile his eſt?ob innumera inter rectum ac circũflexum comprehenſa,& magis minúſque altero participent,hoc eſt conuoluta omnia. Sunt autẽ hæc qualitates:quæ participant eis,qualia illarum cauſa dicuntur. Triangulus enim tum contentus tum continens,& rectus,& curuus eſt,& retortus.

Rarum verò & ſpiſſum,& aſperum & lene putabũtur quidẽ quale quíd 53
ſignificare:ſed aliena huiuſmodi putantur eſſe à diuiſione quæ circa quale eſt:quãdam enim poſitionem magis videntur partium vtrũq; monſtrare.

Spiſſum enim dicitur,eo quòd partes ſibiipſis propinquę ſint:rarũ verò,eo ꝙ diſtent à ſeinuicem.& lene quidẽ,quòd in rectitudinẽ aliquo modo partes iaceãt,aſperum verò,quòd hæc quidem ſuperet,illa verò ſit inferior.

Rarum autem & denſum,& aſperum & lene, videri quidem poſſunt quale indicare, cæterum hæc à qualitatis diuiſione aliena eſſe videntur. Quippe ſitum quendam partium potius ſignificari ijs ſingulis conſtat.

Quoniam enim ſecundum raritatem vel ſpiſſitudinem, & aſperitatem lenitatémque modo quodam diſpoſita ſunt participantia,atq; ab ijs nominãtur,exiſtimationẽ quãdam inquit qualitatum habent:hoc autẽ verum nõ eſt, ſed magis ad ſitus prædicamentum referẽtur,nam poſitum quendã ſignificant. Eſt enim denſum cuius prope inuicẽ ſunt partes poſitæ adeo,vt corpus admittere diuerſi generis nequeant. Rarum quod diductas habet partes,vt recipere alterius generis corpus valeat. Rurſus lene id vocam⁹, quod æquales inuicẽ habet partium eminẽtias extantéſq; pariter. Aſperum vero,quod inęquales inter ſe prominẽtias habet partium. Lene malum eſt,verbi gratia,nam huius eſt ſuperficies æqualis:facies aſpera, quoniã ex inæqualibus ac minus planis conſtat partibus,ore, naſo, oculis, reliquíſq; ſitum partim eminentiorẽ,partim cauum habentibus. Ergo ſitum quẽdam potius indicare partes eorum videtur:aſperúmq; & lene ad ſitus prædicamẽtum dictis de cauſis omnium conſenſu redigũtur. Rarum porrò ac dẽſum hoc loco id ſolum cepit quod artis miniſterio tale redditũ eſt:hoc autem eſt id quod ad ſitus prædicamentum reducitur:vt ſiquis lorum extẽdens rarũ fecerit. Non enim rareſcit per totũ prorſus, ſed mutatur ſitus quarũdam eius partiũ,ꝙ à ſe mutuò magis diſcedãt. Rurſus ſi nucibus quis manũ impleuerit,cõſiſtens ex omnibus corpus,rarum dicitur,ꝙ nõ ſit vnum: nam μανὸν hoc eſt rarum,ᾧ μὴ ἓν ὄι,id eſt quod vnum non eſt græcè appellatur. Similiter & denſum. Nuces enim ſi minutatim cõtuſas, animo contemplabimur, cõſtans ex omnibus corpus erit denſum:& rurſus ſi cõpreſſum quis vellus lanæ ac dẽſatum diſcerpat,efficiet rarum. Iuréq; hoc loco ad ſitus prædicamentũ artificialem hanc raritatẽ ac ſpiſſitudinem reuocat, velut cum his qui introducũtur ſermonẽ habens: quoniã hæc vel denſa vel rara pro ſitu partiũ dicuntur. Non ſunt autem qualitates,neq; ſi naturalem raritudinem aut ſpiſſitudinem habeãt:neq; ſi tota per totũ aut denſa ſint aut rara: ſed ſolo partium poſitu cenſentur:non ipſis verò etiã partibus ſimilem totorum raritatẽ accipiẽtibus. At in naturali auſcultatione qualitates eſſe vult naturalem raritatẽ vel ſpiſſitudinem,quę circa vnũ ſubiectum atq; idem verſantur. Aqua verbi gratia cũ naturalem habeat denſitatẽ, totáq; ſit per ſeipſam totã denſa,ſi depoſita hac denſitate irraruerit,fit aer: quoniã aquæ ſextarius, decem fortè ſextarios fecerit aeris:ídq; fit aqua non in minutas portiunculas diſſipata:velut ſi in aerem plena manu proijcias puluerem,plurimúmque is occupet ſpacij, ꝙ partes ſint eius explicatæ: quandoquidẽ ſi id eſſet, nobis quoq; conficere aerem diſperſa minutatim aqua liceret. Cæterum ſiquis dixerit, at nobis negatum eſt aquam tenuiter adeo diuidere:quòd ſi opere nequimus,vtiq; ne ratione id quidem ſuppoſuerimus:neq; fieri hoc ita poteſt:aquæ enim partes,prorſus aquulæ ſunt,nam partes ſunt toti,ſubſtantia ſimiles, ac diſſoluitur quoq; in hæc ex quibus quodq; componitur. Aqua igitur ſi ex partibus ſimilibus quæ aquæ ſunt, conſtat (nam toti ſunt ſimiles partes vt diximus) in has etiã omnino reſolutas diuiditur. Aer autẽ non foret continuus,ſed inanibus medijs interciperetur capedinibus,nam aut cõtinuas eſſe aquæ partes neceſſe eſt,aut diſiunctas. Fieri nõ poteſt, vt ſe tangãt mutuò:nam ſi tangant,cõtinuæ protinus ob humiditatẽ fiunt. Ergo ſi diuiſæ ſunt,nõ erit aer continuus:quod falſum eſt,ac præter euidẽtiam:ſin coniunctæ,totũ rurſus aqua erit,nec aer. Aerem igitur non facit aqua tenuiſſimè diſcerpta:ſed cõuerſa prorſus atq; alterata. Porrò ꝙ qualitates hæ ſint,paàlm facit in phyſica auſcultatione Ariſtoteles. Quẽadmodum enim corpus inquit cũ capax qualitatum ſit,per ſe ipſum totũ ſecundum eas mutatur,fítq; nigrum ex albo,& albũ ex nigro,ſic quoniã qualitates ſunt raritas etiam & denſitas,corpus quoq; iure ſecũdum eas mutatur: ac ſpiſſitudinem accipiens, fit aqua:terra autẽ, ſi magis itẽ dẽſetur. Quòd ex dẽſitate in raritudinẽ trãſeat,fit aer:magis verò adhuc rareſcẽs,ignis euadit. Itaq; naturalis raritudo vel dẽſitas,quę circa ſubiectum

vnum verſatur,qualitas eſt:quę verò non circa vnum,ſed plura corpora habetur,quãuis naturalis ſit,non qualitas,ſed poſitus nominatur,qualis dentium frequẽtia eſt aut infrequentia.Quanquam enim eſt ex natura, tamen quoniam non circa vnũ ſubiectum ſed plura fit,hoc eſt dentes,non qualitas dicitur,ſed poſitus magis.Hæc quidẽ hactenus. Verum cum Ariſtoteles qualitates eſſe rectitudinem ac curuitatem dicat,aſperitatem autẽ lenitatémq; nõ etiã qualitates,ſed (vt antè prodidimus) aſperũ & lene ſitum eſſe partiũ dũtaxat,ſunt qui addubitent vtrum rectũ quoq; & curuum ſitum ſolum indicet partiũ, ſi recta quidem linea eſt ea quæ ſuis ipſius pũctis æqualiter ſita eſt: vel rurſus à cuius medijs præpediũtur extrema. Conſtat autem & hîc à tali partium lineæ poſitu fieri rectam, nempe vt pars eius nulla foras intróve vergat, ſed æqualiter addantur extremis media. Et verò curuum à rectitudine ſitu partium ſolo differt:quippe ſi inflectantur eius partes, foráſq; aliæ,quædam intrò exorbitent,curuitatem fieri accidit.Ergo ſi & aſperum & lene qualitates nõ ſunt, ſed ſitum ſolum ſignificãt partiũ,idem ſignificabit rectum & curuũ. Huiuſmodi igitur eſt quæſtio:quam hunc in modum ſoluemus,Non eſt idem curuam lineam fractámq; dicere:non enim fracta rectæ ſpeciem qua ratione recta eſt,mutat, ſed ex vna linea duæ fiũt,& facere poſſunt angulum: curua autẽ ſpeciem habet à recta diuerſam:nam curuũ circũuexum ſignificat.Porrò q̃ circũferẽtia ſpecie à recta euariet, pluribus cõperias indicijs.Primum q̃ pars circunferentiæ omnis parti omni cohæret,quo pacto & rectæ rurſum lineæ partes inter ſe omnes conueniunt,nulla autem pars rectæ cuiquã parti circunferentiæ cõgruit. Secũdo,ſi conſiſtentes ex rectis figuræ à compoſitis ex circũferentia ſpecie diſtant,ſpecie igitur & recta à circũferentia dirimitur. Item recta linea neq; vna,neq; duæ,ſed tres minimũ figuram abſoluunt. Vnde rectilinearũ prima figurarũ ac ſimpliciſſima Triãgulus eſt,qui tribus rectis cõprehenditur: circunflexa autẽ vna circuli figuram reddit:eſt enim circulus figura plana vna linea cõtenta,&c.Itaq; ſi recta & ambiens diuerſam ſunt ſpeciẽ ſortitæ,non ſitu ſolo partium differũt: aſperum tamen & lene ſolo diſſidẽt partium poſitu:quapropter nec circa hæc ſubiectum ſpecie euariat, ſed ſpecie eadem manente ſuperficiei, eadem aſpera leniſq; fit. Exempli cauſa ſi ſit ager quadrangularis,quẽ quis partim fodiendo excauet,partim cumulet,aſper fit manẽs quadrangularis:at ſi derafis rurſum partibus eminẽtibus cauitates impleat,lene quadrangulum non demutata ſpecie,nec aliqua aſcita qualitate,redditur, ſed dimoto duntaxat partium poſitu. Quare probè Ariſtoteles rectitudinem curuitatémq; id eſt circunferẽtiam qualitates dixit,aſperum autem & lene ſola partium poſitione differre.

Fortaſſe quidem igitur alius quiſpiam modus apparuerit qualitatis, ſed ferè qui maxime dicuntur hi ſunt. 54

Alius quoque videri forſitan queat qualitatis modus, ſed qui dicuntur maxime,tot ferè ſunt.

Poſtquam ſpecies quatuor nobis qualitatis tradidit,cõcluſionem quoq; infert, atq; hi ſunt inquit qualitatis modi.Cæterum cũ nõ eius dictis acquieſcere nos velit,nec deſidere ocioſos, atq; ab alijs mouendos, ſed interno aliquo & nos ipſos motu eſſe præditos, ac ſcrutari,fortaſſis & alium videri poſſe dicit qualitatis modum.At re vera præter traditos alius non eſt,vt diuiſio monſtrauit,& antiquiorũ ac prudẽtium virorum indagatio.

Qualitates itaq; ſunt quæ dictæ ſunt.Qualia verò ſunt quæ ſecũdũ has denominatiue dicuntur, vel quomodolibet alitèr ab his.In plurimis itaq; & ferè in omnibus denominatiuè dicuntur:vt à candore candidus,& à grã matica grammaticus,& à iuſtitia iuſtus,ſimiliter & in alijs.In aliquibus vero,eo quòd non ſunt poſita qualitati nomina,non contingit ea quæ dicũtur,ab ijs denominatiuè dici:vt curſor,aut pugilator,qui ſecundum naturalem dicitur potentiam,à nulla qualitate denominatiuè dicitur:nõ enim poſita ſunt nomina potentijs ſecundum quas iſti quales dicũtur,ſicuti diſciplinis ſecundum quas pugiles vel palæſtrici ſecundum diſpoſitionem di 55

cuntur. Pugilatoria enim & palæſtrica diſciplina dicitur : quales verò ab his denominatiuè dicuntur,qui diſponuntur.Aliquando autem & poſito nomine non dicitur denominatiuè quod ſecundum eam quale dicitur : vt à virtute ſtudioſus:eo enim quòd virtutem habeat, ſtudioſus dicitur : ſed non denominatiuè à virtute:non autem in pluribus hoc tale eſt.Qualia ergo dicuntur quæ denominatiuè à dictis qualitatibus dicuntur,aut aliquo modo aliter ab eis.

Sunt ergo qualitates eæ quas recenſuimus.Qualia vero quæ denominatiuè ſecundum eas dicuntur.

Poſtquam de qualitate diſſeruit, nunc de quali ſermonē inſtituit:fecit enim de vtroq; inſcriptionem.Sunt ergo qualitates,vt albedo,nigredo, & ſimilia:quale autē, quod partem qualitatum habet:vt album corpus,nigrum,dulce,amarum:vel modeſtus animus, vel iracundus: corporeáque id genus & ad animam pertinentia. Et aſſumuntur quidem qualitates,qualia autem ijs participant. Dicuntur vero à qualitatibus qualia, vt proditū ſæpe eſt:at non denominatiuè ab ipſis dicuntur omnia:ſed nonnulla & æquiuocè:aut ne ab ipſis quidem prorſus nominātur:nam & huiuſce rei gratia dixit, vel alio quouis ab ipſis modo. *In plurimis itaque, ferméq; in omnibus denominatiuè dicuntur.* Quoniam in ſermonis de qualitate exordio illam eſſe qualitatem dixit à qua denominatiuè vocantur quæ participant,rudiúſq; de ea nec ſubtiliter pronunciauit(non enim hoc qualitatem omnem conſequitur)nunc ſermonē repetit, atq; exactius decernit: verúmq; eſſe in plurimis inquit ſermonem,nempe à qualitate denominatiuè participantia nuncupari. Dicitur enim albus ab albedine: & à grammatica grammaticus. *At in qualitatibus nonnullis, propterea quòd non ſint poſita qualitatibus nomina,non dicuntur ab ipſis denominatiuè participantia.* Hoc in ſpecie ſecunda qualitatis accidit,quæ in potentia atq; impotentia poſita eſt. Nam neq; curſorij,neq; pugilici qui naturalem in his quandā obtinent aptitudinem , denominatiuè ab his dicūtur facultatibus:neq; enim poſita ſunt his facultatibus nomina, propterea quòd abſolutis rebus actúq; exiſtentibus nomina indere conſuetudo ſtuduerit. Nam pugilicus aut curſorius à ſcientijs in actu pugilica nempe & curſoria nominātur. Ac quid inquam in poteſtatibus quibus non ſunt indita nomina: quando nec in quibuſdam qualitatibus nomina habentibus denominatiuè ab ipſis participantia dicuntur ? quippe virtutis particeps non virtuoſus, ſed ſtudioſus vocatur. Quandoq; verò & æquiuocè appellantur à qualitatibus participantia,vt à grammatica ſcientia grammatica mulier : & muſica mulier à muſica. Proinde exquiſitiorē nobis hoc loco,vti diximus,ſermonē exhibens qualitatis,verba illa adiecit,vel quouis alio ab ipſis modo. Addidit verò hæc ob innominata ac diuerſiuoca.

56 Ineſt autem & contrarietas ſecundum qualitatem: vt iuſtitiæ iniuſtitia contraria eſt:& albedo nigredini:& alia.Similiter autem & ea quæ ſecundum eas qualia dicuntur:vt iniuſtum iuſto:& album nigro.Non in omnibus autem hoc accidit : rubro enim aut pallido aut huiuſmodi coloribus nihil eſt contrarium,qualibus exiſtentibus.Amplius. Si contrariorum alterum fuerit quale,& reliquum erit quale.Hoc autem palàm eſt ex ſingulis proponenti alia prædicamenta: vt ſi eſt iuſtitia iniuſtitiæ contrarium: quale autem eſt iuſtitia:quale igitur & iniuſtitia:nullum enim aliorū prædicamētorum aptabitur iniuſtitiæ,neque quantum, neque ad aliquid,neque vbi,nec omnino aliquid huiuſmodi niſi quale. Sic autē & in alijs quæ ſecundum quale ſunt contraria.

Ineſt verò & contrarietas in quali: vt iuſtitia iniuſtitiæ contrarium:& albedo nigritiei.

Accedit ad proprium qualitatis,eadem quemadmodum in prædicamentis alijs præceptionis regula vtens. Proprium igitur qualitatis inquit eſt, contrarietatē admittere:neq;

iniuria. Nam & in corpore album nigro,& in anima iuſtitia iniuſtitiæ, & in vtroq; ſanitas morbo repugnat: ſpectatur enim in qualitate proprie contrarietas. Etenim & in prædicamentis alijs contrarietas penes qualitatem conſiderabatur: quippe & ſubſtantia huius nomine cõtrariorum eſt capax: & quæ contrarietatem admittunt relatiua ex qualitatis prædicamento deſumebantur. Propriè igitur, vt modo dixi, cõtrarietas circa qualitatem viſitur. Cęterum non adeſt omni qualitati contrarietas: nihil enim eſt contrarium qualitatibus inter contrarias qualitates medijs: vt rufo, vel pallido, vel ſimilibus. Sed ne figuris quidem eſt contrarium, triangulo inquam, & circulo, atq; id genus reliquis. Similiter ineſt contrarietas & qualibus: dicitur nanque album nigro contrarium: & calidum frigido. *Item ſi contrariorum vnum quale ſit, erit & alterum quale. Id verò prædicamenta alia proponenti conſtabit. Vt ſi iuſtitia eſt iniuſtitiæ contrarium, qualis autem iuſtitia eſt, qualis igitur & iniuſtitia fuerit.* Patet enim ſub quod prædicamentum contrariorum quodq; recipitur, alterum quoq; eodem iri relatum, ex eo quòd in aliud prædicamentum à nobis cooptari nõ poſſit. Nam genus idem eſt contrariorum.

Suſcipiunt autem qualia magis & minus. Album enim magis & minus 57
album alterum altero dicitur: & iuſtum alterum altero magis & minus. Sed & ipſa intenſionem ſuſcipiunt. Cum candidum nanque ſit, contingit amplius candidum fieri: non tamen omnia ſed plurima. Iuſtitia nanq; ſi dicatur magis & minus iuſtitia, poteſt quilibet ambigere: ſimiliter autem & in alijs diſpoſitionibus. Quidam enim dubitant de talibus: iuſtitiam nanque iuſtitia non omnino aiunt magis & minus debere dici: nec ſanitatem ſanitate: minus autem habere alterum altero ſanitatem aiunt: & iuſtitiam alterum minus altero habere dicitur. Sic autem & grammaticam, & alias diſpoſitiones: ſed tamen ea quę ſecundum eas dicuntur, indubitanter recipiunt magis & minus: grammaticior enim alter altero dicitur: & iuſtior: & ſanior: ſic autem & in alijs. Triangulum verò & quadrangulum non vidẽtur magis & minus ſuſcipere: neque aliqua aliarum figurarum. Quæ enim diffinitionem trianguli recipiunt & circuli, omnia ſimiliter trianguli vel circuli ſunt: eorum autem quæ non recipiunt rationem eandem: nihil magis alterum altero dicetur. Nihil enim quadratum magis quàm parte altera longius circulus eſt: neq; alterum enim recipit circuli rationem. Simpliciter autem ſi vtraq; non recipiunt propoſiti rationem, non dicetur alterum altero magis: non ergo omnia qualia recipiunt magis & minus.

Suſcipit autem quale & magis & minus. Album enim magis & minus aliud alio dicitur. Et iuſtum aliud alio magis & minus, & vero ipſum ſibiipſi incrementum capit.

Aliud conſequens ipſius qualis, nempe ſuſcipere magis & minus: album nãq; albo magis & minus dicitur, & ipſum ſeipſo albius. Hoc autẽ inquit nõ eſt omnibus conſequens, ídq; merito: ſiquidem dictum eſt, vbi contrarietas ac mixtio contrariorum viſitur, ibi magis quoq; & minus conſiderari: vbi nec contrarietas, nec contrariorum mixtio eſt, ibidem nec magis minúſq; ſpectari. *Iuſtitia verò an magis quàm iuſtitia & minus dicatur ſanè quis dubitauerit.* Quòd autem non in omni qualitatis prędicamento ſuſcipi magis & minus dicere conueniat, patet ex eo quòd circa hæc quidam addubitant, nolentes iuſtitiam magis & minus iuſtitia eſſe, & ſanitatem ſanitate, & ſimilia: verum de his Ariſtoteles non articulatè nobis rationem explicat. Nos verò hęc de ijs in medium afferimus, affirmamúſque admitti citra controuerſiã à qualibus, eo modo quo diximus magis & minus: à qualitate tamen quę finibilis eſt ratione, magis minúſq; non ſuſcipi: vt iuſtitia, ſanitate, ac ſimilibus. Iuſtitia enim ipſa per ſe non vtiq; magis & minus quàm iuſtitia fuerit: nã ſiquid

iuſtitiæ finitionem non capiat, ne omnino quidem iuſtitia eſt. Vt enim ſunt homines ex æquo ij quibus hominis finitio congruit, quibus autem pars vel minima finitionis non conuenit, vel rationale, vt brutis, vel ſcientiæ capax: aut mortale, vt angelis, nec omnino ſunt homines: ita niſi iuſtitiæ, vel ſanitatis, vel alicuius huiuſmodi finitionem æquabiliter accipiat, neq; tale erit iuſtitia, neq; ſanitas, neq; eius generis quidpiam. Recipiunt tamen hæc qualia magis minúſq;, ſecundum quòd ſibi aut plus aut minus vnumquodque qualitatis vendicauerit. Nam quod albedinis plus quàm nigri adeptum eſt, magis album dicimus illo quod plus nigredinis quàm albedinis obtinet. Similiter eum magis iuſtum appellamus, qui communicationem cum iuſto vberiorem eſt amplexatus: & ſalubrem, qui alijs magis ſanitate fruitur, & ita in id genus omnib⁹. Quo enim pacto nõ æquè ignis omnes qui circunſtant, exẽpli gratia, calorem percipiunt, ſed propinquiores magis, quãto copioſius pyra participant, remotiores minus, tametſi ignis vnus idémq; ſit calor: ita & in qualitatibus omnibus arbitrarĩ conuenit, nec intendi nec remitti per ſe eas poſſe. Quòd ſi in ſubiectis ſint corporibus, in quibus miſceri quoq; naturâ ſunt aptæ, contrariorum maiore aut minore admixtione intẽduntur aut remittuntur. *Triangulus autem quadrangulúſque ipſum magis & minus accipere non videntur, neq; aliarum vllæ figurarum. Nam quæ trianguli vel circuli rationem admittunt, omnia ſimiliter trianguli ſunt aut circuli.* Per hæc etiam magis & minus non omni ineſſe qualitati comprobat: neq; enim vlli competit figuræ. Quippe triangulus nullus triangulo magis & minus triangulus dicitur: nanque horum vterq; rationẽ ſimiliter capit trianguli. Neq; circulus circulo, quanquam decies millies fuerit maior: nã ſuſcipit & vterq; horum ſimiliter circuli rationem: paríq; in cæteris modo, in quibus eadem inuariabiliter ratio cohæret. *Eorum verò quæ nõ admittunt, aliud nihilo magis ꝯ aliud dicetur. Nihilo enim quadrangulus magis quàm parte altera longius quadratũ circulus eſt.* Hoc eſt quod ſibi vult per hæc verba. In quibus inquit ipſum magis minúſq; conſideratur, eadem in ijs finitio, non tamen ſimiliter prorſus, oportet conueniat. Nam ſi nulla euariatione congruat, non accipiunt ipſum magis & minus. Salubre exempli cauſa eſt quod ad ſanitatem ſe cõmodè habet: competit exercitationi quoq; hæc ratio, & cibis, & vrinis, aliiſque compluribus. Quandoquidem igitur finitionem eandem, non tamen indifferenter recipiunt omnia, ſed vt ſanitatis cuſtos, exercitatio: cib⁹ vt efficiens: lotia vt indicatiua: ipſum magis quoque ac minus iure admittunt. Dices enim exercitationẽ cibo magis ſalubrem: nam præſentem illa ſanitatem tuetur: hic abſentem reuocat. Magis vero cibus ſalubris eſt quàm lotia: tantum quippe duntaxat obtinent ſalubris lotia, quantum diſpoſitionem ſalubrem indicent. Quòd ſi ſit in quibuſdam finitio eadem nullo diſcrimine, aut prorſus diuerſa, hæc ipſum magis ac minus non ſuſcipiunt. nam ſunt prorſus quædam diuerſa, vt homo & equus: ideo nemo dixerit hominem equo magis hominem: nec equum cane magis equum, quoniam diuerſa planè ſunt: nõnulla prorſus eadem, quare neq; hominem homine magis hominem eadem de cauſa aliquis affirmabit: neq; equum equo magis equum: quoniam inter ſe ſunt eadem penitus, finitionémq; eandem ſine diſcrimine accipiunt. Verum quoniam album in niue & veſte eandem finitionem, ſed non citra differentiam admittunt, iure aliud magis quàm aliud dicitur. Suſcipiunt enim diffinitionem vtraque non ſimiliter eandem: ſed nix vt cognatum habens album, propriæq; completiuum ſubſtantiæ, nec admitens contrarij: veſtis vero, arte comparatum, demus id, nec ſubſtantiæ completiuum, nec cõtrarij minime capax. Idem quoq; in nigro modus eſt, atq; alijs. Polygonus igitur ſeu multangulus ob id non magis triangulo circulus dicitur: quoniam eorum neuter finitionem recipit circuli. Neq; verò multangulus circulus alijs minus circulus perhibetur, eadem rurſus ratione.

58 Horum itaque quæ prædicta ſunt nihil eſt proprium qualitatis. Similia verò aut diſſimilia ſecũdum ſolas dicuntur qualitates. Simile enim & diſſimile alterum alteri non eſt ſecundum aliud, niſi ſecũdum id quod quale eſt. Quare proprium eſt qualitatis ſecundũ eam ſimile vel diſſimile dici.

Nullam itaque ex ijs quæ recenſuimus qualitatis proprium eſt. Similia verò & diſſimilia in ſolis qualitatibus dicuntur.

Quemadmodum in ſubſtantia atq; alijs fecit, reprobatis prius ijs quæ propria videbantur, poſtea quæ propria re vera eſſent tradidit: ita & hoc loco, reiectis duobus ipſius qualis conſequentibus, nimirum ineſſe ipſi contrarietatem, & magis ac minus accipere, quaſi non omne comitentur quale, eligit, quod ſimile dicatur atq; diſſimile. Nanq; in aliorum prædicamẽtorũ nullo id dicitur. Cæterũ non ipſa qualitas, ſed qualia ſimile ac diſſimile ſuſcipiunt. Nam qualitas quæuis vna eadémq; eſt, ſi ipſa per ſe, nec in ſubiecto ſpectetur, quónam pacto ſimilis ipſa vel diſſimilis ſibiipſi fuerit? ſubiecto tamẽ inſita ſimile ac diſſimile excipit, vel proueniens ſyncera in ijſdem, vel cõtrarij ſimiliter admixtionem recipiens, & ita ſubiecta ipſi ſimilia ſecundum eam inter ſe reddens, vel diſſimilia, eo quòd non ſimiliter in concretum deducatur, ſed contrarij mixtione ipſum magis & minus in ſubiectis admittat. Ideo itaq; vt omni prædicamento proprium accommodemus, vti fecimus in ſubſtantia, aſſignato eius proprio non nihil addentes, dicentéſq; ſubſtantiæ eſſe prædicamenti proprium, vt eius indiuidua vnum idémq; numero manentia contrariorum ſint viciſſim capacia, atque eo modo proprium omnis ſubſtantiæ conſequens effecimus: ita & hoc loco agemus, ac qualitatis proprium eſſe dicemus prędicamenti, vt ei ſubiecta indiuidua ſimilia vel diſſimilia dicantur. Sic nanq; & omni prædicamento conſequens & ſoli conuenerit.

At verò non decet conturbari, ne quis nos dicat de qualitate propoſitũ facientes, multa eorum quæ ſunt ad aliquid connumeraſſe: habitus enim & diſpoſitiones eorum quæ ad aliquid ſunt eſſe dicebamus. Penè enim in omnibus talibus genera ad aliquid dicuntur, nihil autem eorum quæ ſunt ſingularia: nam cũ diſciplina genus ſit, idipſum quod eſt alterius dicitur: alicuius enim diſciplina dicitur: eorum vero quæ ſingularia ſunt nihil ipſum quod eſt alterius dicitur: vt grammatica non dicitur alicuius grammatica: nec muſica alicuius alterius muſica. Sed forte ſecundum genus & hæ ad aliquid dicuntur: vt grammatica alicuius dicitur diſciplina, non alicuius grammatica: & muſica alicuius diſciplina, nõ alicuius muſica. Quapropter quæ ſingularia quidem ſunt non ſunt ad aliquid: dicimur autem quales ſecundum ſingula: hęc enim & habemus. Scientes enim dicimur, eo quòd habemus ſingularum ſcientiarũ aliquas. Quare hæ erunt etiam qualitates quæ ſingulares ſunt: ſecundum quas aliquando & quales dicimur: hæ autem non ſunt eorum quæ ſunt ad aliquid. Amplius. Si contingit idẽ ipſum & quale & ad aliquid eſſe, nihil eſt inconueniens in vtriſque hoc genere enumerare. 59

Minimè verò turbari conuenit, nequis cum de qualitate verba facere inſtituerimus, complura quæ ad aliquid ſunt connumerare nos putet. Habitus enim diſpoſitionẽſq; ad aliquid eſſe dicebamus.

Quandoquidem ei de qualitate ſermo eſt, habitus verò ac diſpoſitiones ſub qualitatẽ redegit, quæ erant ad aliquid (nam ipſe quoq; ad aliquid prius ea retulit, & habitum inquiens habilis rei habitum, & diſpoſitionem rei diſponendæ diſpoſitionem eſſe) idcirco difficultatem ſentiens, duplici eam ratione ſoluit: ac primum leuius quidem, dein ſubtilius. Habétque ſolutio prima ad hunc modum. *Fermè enim in eiuſmodi omnibus genera ad aliquid dicuntur, ſingulare autem nullum.* Hæc ſolutio prima eſt difficultatis. Talium enim inquit genera ad aliquid referũtur ſpecies verò ad quale. Scientia verbi cauſa eſt ad aliquid: genus eſt enim ſcientia: & ſcibilis rei ſcientia dicitur. Geometria verò ad aliquid non eſt, cum ſpecies ſit ſcientiæ: ſed ad quale reducitur. Habet ſimiliter res ſeſe in habitu & diſpoſitio-

nè,eiúſq; notæ omnibus. Habitus nanque habilis habitus,& habile habitu habile:& diſpoſitio diſponendi diſpoſitio: & diſponẽdum diſpoſitione diſponendum. Sunt tamen qualitates ſanitas vel morbus: & grãmatica vel rhetorica: cum ſpecies habitus diſpoſitioníſve ſint. Quales enim ſecundum eas ſumus:denominatiuéq; ab ipſis grammatici vel rhetorici vel ſalubres vel morboſi,vel quouis modo appellamur. Dicimur verò & ſcientes: non q̃ ſimpliciter ſcientię ſimus,ſed particularis alicuius ſcientiæ participes,grãmaticæ, vel muſicæ,vel alterius cuiuſquam. Hæc igitur leuior eſt ſolutio. Porrò leuior eſt,quoniã in prædicamentis omnibus genera ad quod ſpecies quoque prædicamentum referuntur, ſeſe eodem recipiunt. Exactior autem ſic habet. *Item ſi idem forte ſit quale & ad aliquid, abſurdi nihil eſt in vtroque ipſum genere cenſeri.* Vt enim reducũtur ad ſubſtantiam pater & filius, reducuntur verò & ad relationem,alia tamen atq; alia ratione, ita abſurdum nihil eſt habitus diſpoſitionéſque vt res ad qualitatem, vt reſpectum quẽdam recipientia,ad ea quæ ſunt ad aliquid referri.

DE ACTIONE ET PASSIONE.

60 REcipit autem agere & pati contrarietatem:& magis & minus. Calefacere enim ei quod eſt frigefacere contrarium eſt: & calefieri ei quod eſt frigefieri : & delectari ei quod eſt contriſtari:quare ſuſcipiunt contrarietatem, & magis & minus : eſt enim calefacere & magis & minus:& calefieri magis & minus:& triſtari magis & minus:ſuſcipiunt igitur magis & minus agere & pati:de his igitur tot dicuntur. Dictum eſt autem & de eo quod eſt ſitum eſſe in ijs quæ ſunt ad aliquid, quòd denominatiuè à poſitionibus dicitur. De reliquis verò,id eſt quando, & vbi,& habere,propterea quòd manifeſta ſunt,nihil de ipſis aliud dicitur quàm quę in principio dicta ſunt:quòd habere quidem ſignificat calceatum eſſe,armatum eſſe:vbi verò,vt in lyceo,in foro: & alia quæcũq; de his dicta ſunt. Igitur de omnibus generibus quæ propoſuimus ſufficiunt dicta.

Facere autem & pati tum contrarietatem, tum magis & minus recipiunt.

Simplicia quædam ſunt prædicamenta: quædam ipſum eſſe per ſimplicium combinationem complexúmq; obtinent. Simplicia ſunt quatuor expoſita, ſubſtantia,quantum, quale,& ad aliquid relata:per complexionem verò ſubſtantiæ ad horũ vnum,vel ad ſeipſam,ſex fiunt reliqua:vt ex ſubſtantia & quanto,vbi,& quando:ex ſubſtantia & quali,facere,& pati:ex ſubſtantia & relatiuis,habere,& ſitum eſſe. Cæterum vt id quoq; intelligamus, propriè inquam prædicamenta ſupradicta quatuor eſſe, ſex verò reliqua ex mutuo horum complexu fieri:ea quæ diximus ex diuiſione ſumamus. Ex ijs quæ ſunt,ſubſiſtunt alia per ſe:quædam ipſum eſſe in alijs poſſident. Subſiſtit per ſe ſubſtantia. Quorum eſſe in alijs eſt,ea partim in reſpectu conſiderantur,vt relatiua:partim eodem carent. Quæ ſe ad aliud non habent,alia ſecari in partes poſſunt,vt quanta:(proprium enim id quãti eſſe dicebamus,nempe diuiduum eſſe in partes)alia diſtribui in eaſdem nequeunt, vt qualitates. Hæc ſunt quæ propriè ac primum prædicamenta appellantur. Alia verò ſex fiunt cõplicata tribus reliquis ſubſtantia,quanto inquam,relationi,& quali. Quanto enim iuncta ſubſtantia duo prædicamenta efficit,quando,& vbi:nam tempori ſociata prædicamentũ facit quando. Significat enim quando neq; ſubſtantiam duntaxat, neq; tempus,ſed ſubſtantiam quæ ſit in tempore:ſignificatiuum autem eſt in tempore quando,ſecũdum tres partes illius,videlicet præſens,præteritum,futurum. Sin verò connectatur loco ſubſtantia,vbi prędicamentũ conficit:quippe vbi neq; locum ſolummodo indicat(non eſt enim locus in loco)neq; ſubſtantiam:ſed ſubſtantiam quæ ſit in loco. Vbi autem loci declaratio eſt,diuiditúrque ſurſum,deorſum,dextrorſum,læuorſum,ante,retro. Rurſus prædicamenta alia procreat duo ſubſtantia ipſi quali addita,faciendi & patiendi:nam facere &

pati penes qualitatem fiunt: qui enim facit in aliquid, is aut calefaciendo, aut refrigerando,aut alia qualitate aliqua facit.Aliter quoque.Facere eſt in aliquid agere: & aut in ſeipſum agere,vt per ſeſe laborare,cernere, ſermocinari:aut in aliud,vt verberans vapulantẽ verberat.Et verò patiens quòd afficitur caliditate vel nigredine,aut alia qualitate aliqua patitur:pati enim eſt ab aliquo alterari. Diuiditúrque ita,vt vel in corruptionem à contrario ducatur:vel in perfectionem,vt viſio à viſibili. Iterum ſi relatiuis adijciatur ſubſtãtia,ſitus prædicamentum facit.Eſt enim ſitum eſſe,talis corporis poſitus:atq; in hæc diuiditur,quæ ſunt recubare,ſedere,ſtare: ſitum autem eſſe,ad aliquid dicebamus. Ipſa verò ſibi ipſi complicata in re quapiam arte conſtructa,prędicamentum habendi efficit:ſignificat enim habere, ſubſtantiæ circa ſubſtantiam, in circuitu poſitionem. Hæc porrò arte comparata res aut tota eſt in tota ſubſtantia,vt tunica in corpore:aut tota in parte,vt annulus in digito,vel telum in manu. Dicitur nanq; tribus modis habere, in animo vt habitus,in corpore vt cicatrix,circa corpus vt pallium,tunica,calceamentum,arma. Cæterum proditis quatuor prædicamentorum rationibus finitionibúſque ac conſequentibus, Ariſtoteles ſex reliquorum neque finitiones,neq; diuiſionem in ſpecies tradidit:perinde quaſi hæc nobis ex dictis cognoſcere liceat.Nos igitur cuiuſque definitionem oportet ac diuiſionem in ſpecies edamus.Facere eſt in quidquam agere:cuius ſpecies duæ ſunt:nam faciens aut in ſeipſum facit, vt animus ſeipſum viuificans, cognoſcénſq; : aut in aliud,vt ignis in nos cum calefimus , atq; vt ſenſus circa ſenſibile agens. Vel aliter quoq; duplex eſt facere:per animi impetum, vt in cane latrante:per naturam, vt in ignis vſtione. Pati verò eſt alterari ab aliquo: ſúntq; ſpecies eius duæ. Nam aut ſic patitur vt in corruptionẽ agatur,vt lignum quod ab igne vritur:aut velut in perfectionem ducitur, vt cum à viſibili pati dicimus viſum:deducitur enim viſus in perfectionem à viſibilibus:cum propriũ actum recipiat.Patitur diſcipulus quoq; à præceptore:neq; corrumpitur ipſe,verum perficitur. Rurſus item duplex eſt pati : nã aut corruptiuum eſt, vt ſecari,vri:aut perfectiuũ, vt diſcere,legere.Poſitũ eſſe autem eſt ſitum quẽdam habere: huius ſunt ſpecies tres , recubare,ſedere,ſtare. Aut enim,vt ſæpe cõmemorauimus, reclinatum corpus totum eſt, ac recubare dicitur: aut partim reclinatum eſt,partim rectum, & ſedere nuncupatur:aut totum eſt erectum,& ſtare appellatur. Quando tempus declarat,vel quod eſt in tempore:ſpecies tres eius ſunt,præſens,præteritum,& futurum. Vbi locum ſignificat,vel quod eſt in loco:ſex ſunt huius ſpecies,ſupra,infra,dextrum,ſiniſtrum,ante,& retro. Sex autẽ iure ſunt loci diſcrimina:eſt enim locus,vti nos ꝓdidimus,finis ambientis quatenus ambitum complectitur: ambitum autem corpus eſt, quod tres habet dimenſiones:quarum ſecundum rectam lineam vnaquæq; definitè nec ſecũdum aliam ſpectatur.Siquis enim quanta ſit parietis dimenſio ſecundum longitudinem,verbi gratia,noſce velit,ad perpẽdiculum hanc metietur: eſt verò perpendiculum recta linea. Eodem modo ſi quanta ſit dimenſio in latitudinem vel profunditatem cognoſcere cuiquam libeat, eam funiculo extento metietur,qui & ipſe recta eſt linea:habet vero omnis recta duos fines.Ergo ſi tribus dimenſionibus conſtat omne corpus , quælibet autem per rectam lineam figuratur dimenſio,habétq; recta omnis linea duos fines, iure ſex finibus corpus concluditur. Sex igitur ſi ſint corpori fines , locus quoq; ipſum ambiens totidem habeat neceſſe eſt: quoniam locus ſecũdum dimenſionem omnem corpus amplectitur: ſúntq; dimenſionis in longitudinem extrema,vt in animato dixerim,ſupra & infra: in latitudinem, dextrum ac ſiniſtrum:in profundum,antè & retrò.Habere autem eſt ſubſtantiæ circa ſubſtãtiam amictus:hoc verò aut circundatur vt totum,velut tunica totum corpus ambitur:aut totum parti inducitur, vt annulus digito. *Facere autem & pati contrarietatem recipiunt.* Quærendum hoc loco cur ipſum facere & pati Philoſophus nõ ad ea quę ſunt ad aliquid redigat, ſed alterius eſſe ea dicat prędicamenti:faciens enim in patientem facit:& patiens à faciẽte aliquo patitur:quamobrem ſunt hæc quoque ad aliquid.Itaque ad hoc dicimus infinitiua verba naturæ actionum vel paſſionum ſignificatiua eſſe duntaxat : nam aut actionẽ tantum,aut paſſionem declarant : alia autem verba,vel participia, ſubſtantiarum vel cũ actione vel cum paſſione coniunctionem indicant . Facere igitur & pati cum infinitiua

ſint verba,actionis ipſius indicatiua paſſioniſve ſunt,nec ex eorũ genere quæ ſunt ad aliquid:nemo enim ipſum facere in id quod pati eſt,facere, vel ipſum pati ab eo quod eſt facere, pati dixerit: patiens tamen vel faciens ſub relatiua recipiunt: nã faciens impatientẽ facit,& à faciẽte patiens afficitur. Quærit autem meritò in naturali auſcultatione Ariſtoteles,ſi ex faciendo patiendóq; prodeat motus, vtrum in faciente an patiente ſpectetur: affirmátq; in patiente:eſt enim motus à poteſtate in actum via.Porrò actus,eſt habitus ipſa adiectio:mouentur ergo quæ ſunt indigentia, atq; ab imperfecto ad perfectũ tranſmigrant:motibus igitur cientur pluribus,quæ plura deſiderant:quę paucis opus habent,parcius mouentur. Deus ſanè Opt. Max. cum nihilo egeat, eſt prorſus immobilis. Faciens itaque ſi habitum ſecundum ipſum quod facit perfectum obtineat,non ſecundum illud quod facit mouebitur:patiens verò perinde quaſi facientis egeat, quo inſitam ei facultatem in actum producat,iure moueri dicitur,cum prouehitur ab eo quod eſt poteſtate,ad hoc vt actu ſit id quod naturâ eſſe poteſt.Quamobrem vnus eſt motus qui in ſolo patiente conſideratur,duplicem tamen licet eſſe motus rationem:poteſt enim & in faciente,& in patiente ſpectari.Nam cum à faciẽte aſpexerimus inchoantem motum in patiens deſinere,actionem eam vocamus:paſſionem verò,cum à patiente exordiri eum,ac ceſſare in faciens viderimus.Similis modus quoque in doctrina diſciplináq; eſt.Vnus eſt itaque ſubiecto motus,ratione differens. Quæ vero ad aliquid habẽtur,non ſolum ratione,ſed ſubiecto quoque diuerſa ſunt. Quamobrem ad aliquid non erunt facere & pati:cum circa ſubiectum vnum hoc eſt motum verſentur:ſi ad aliquid pertinentia non relationem ſolum habere, ſed ſubiecta quoque volunt diuerſa. Cur ergo non de actione & paſſione titulum indidit? quoniam duplex inquam eſt actio: ſiquidem & via ipſa actio dicitur:vt ædificatoris actio,& finis ipſe actionis,verbi gratia domus.Ne errorem igitur quempiam æquiuocatio pareret,eúmq; de fine diſſerere arbitraremur,ob id ita inſcripſit,De faciendo & patiendo, id eſt de actione ipſa & via. *Facere autem & pati tum contrarietatem tum magis & minus recipiunt.*Neq; iniuria.Nam contrarietas in qualitatibus duntaxat cernitur:facere autem ac pati ex ſubſtantiæ complexu ad qualitatem conſiſtit. Et verò magis minúſque ab illis ſuſcipi ſæpe prodidimus, quæ & contrarietatem admittunt. Quandoquidem verò non omnis qualitas contrarietatem,neque magis & minus recipit,cuiuſmodi ſunt figuræ, meritò nec contrarietatem, nec magis ac minus ſuſcipere omni faciendi & patiendi prędicamẽto eſt conſequens:ſed ſi magis minúſq; accipiat,quod eſt ex qualitate deſumptum, hoc ipſi ineſt: ꝙ ſi ex qualitate prodeat quæ contrarietatem non capiat, neq; erit quidquam ipſi contrarium.*Itaque de propoſitis quidem generibus dicta ſufficiunt.* Ex pauculis hiſce verbis, de ſolis conceptibus prædicamentorum intentionem eſſe ſuſpicati ſunt quidam interpretes.Ariſtoteles enim,aiunt, genera ſola nouit poſterius genita,ac mẽte cõcepta. Quippe vniuerſale inquit ipſe in cõmẽtatione de anima, vel nullũ eſt,vel poſterius:quę vero ante multa ſunt,ne oĩno quidẽ vult eſſe, ſed ea nænias dicit & ſuperuacuas nugas.

DE OPPOSITIS.

61 DE oppoſitis autem quot modis ſolent opponi dicẽdum eſt. Dicitur enim alterum alteri opponi quadrupliciter: aut vt ad aliquid, aut vt contraria, aut vt priuatio & habitus, aut vt affirmatio & negatio. Opponitur autem vnumquodq; iſtorum, vt ſit figuratim dicere:tanquam ad aliquid quidem,vt duplum dimidio:tanquam contraria autem,vt malum bono:tanquam autem ſecundum priuationem & habitum, vt cæcitas & viſio: tanquam verò affirmatio & negatio, vt ſedet non ſedet.

De oppoſitis verò quot modis opponi conſueuerint dicendum.

Abſoluta eſt prædicamentorum diſputatio: ac poſtprædicamentorum ſectionẽ auſpicatur: nanque diuiſum eſſe in tres partes librum inter initia diximus: nempe in eam

quæ prædicamenta antecedit,& quæ de ipſis agit prędicamentis,& quæ à prædicamentis conſequitur. De vocibus quoq; in anteprædicamẽtis tractari quibus foret in prædicamẽtorum præceptione vtendum,nobíſq; ignotæ ex vſu eſſent,commonuimus: in ſecundo autem ſegmento de prædicamentis ipſis: in tertio hoc eſt præſenti,de vocibus quibuſdã in prædicamentorum præceptione aſſumptis, quarum notitiam quidem habemus nonnullam, cæterum non articulatè diſtinctam atq; explicitam. Quòd verò hæc non ſeiuncta à prædicamentorum ſcopo ſectio ſit, vt ſunt quidã arbitrati,tum ex ijs quæ diximus liquet,tum ex ipſa locutionis ſerie innoteſcit. Quippe coniunctioni quidem in ſectionis fine præcedentis poſitæ,in hac verò ipſam coniunctionem intulit:nam cum in illa dixiſſet, Itaque de propoſitis quidem generibus dicta ſufficiant, nunc in huiuſce primordio inquit, De oppoſitis verò. Itaque vel ex hoc patet ſcopi continuitas. Docet verò de oppoſitis primum: etenim mentionẽ horum fecit cum de quanto diſſereret, quãdo oppoſitũ eſſe magnum paruo nõ vt contraria, ſed vt ad aliquid affirmabat: docere igitur hoc loco vult oppoſita quot modis dicantur. Obiacent ergo quatuor inquit modis oppoſita:vel vt ad aliquid,vel vt cõtraria,vel vt habitus & priuatio,vel vt affirmatio ac negatio. Cæterũ quærendũ eſt, cur ſpecies quatuor ſolæ oppoſitorũ, nec plures nec pauciores habeantur: & quænã ſit huiuſmodi ipſorũ ordinis cauſa. Vt ergo cur ſolũ quatuor ſpecies ſint diſcamus,dicam⁹ hoc pacto:Oppoſita vel vt orationes,vel vt res mutuò ſibi aduerſanť. Quæ veluti res oppoſita ſunt,aut in reſpectu quodã ſpectantur, vt quæ ad aliquid ſunt:aut carent reſpectu. Si careant reſpectu,aut in ſe mutãtur inuicem,velut cõtraria, vt album & nigrum:aut nõ mutantur,quemadmodũ priuatio & habitus,vt viſus cæcitáſq;. opponuntur ergo vt orationes affirmatio & negatio, vt Socrates ambulat,Socrates non ambulat. Vt res autẽ reſpectum habẽtes oppoſita ſunt,quæ ad aliquid referuntur,vt pater & filius: dextrum & ſiniſtrũ:ſcientia & ſcibile. Vt res nullo reſpectu deuinctæ,atque in ſe mutuò tranſeuntes opponuntur contraria, vt nigrum & album: & calidũ & frigidũ. Vt res autẽ quæ nec vllo reſpectu iungũtur,nec in ſe viciſſim mutantur,habitus & priuatio,vt viſio & cæcitas:mutatur enim in priuationẽ habitus, vt viſus in cæcitatẽ: non tamen priuatio in habitum cõmeat, vt cæcitas in viſum. Porrò per priuationẽ hoc loco abſolutã formæ poteſtatíſq; ipſius corruptionẽ intelligit: at in auſcultatione naturali nõ interitũ abſolutum poteſtatis,priuationẽ vocat (vult enim in libris illis priuationẽ quoq; in habitũ mutari)ſed formæ ſolius abſentiam. Cuiúſnam igitur rei gratia ſpecies quatuor tantũ ſint oppoſitorũ,nobis aperuit diuiſio. Quãobrem verò oppoſitionẽ ſtatuerit relatiuorũ primã, ſecundam cõtrariorũ, tertiam habitus ac priuationis,quartã affirmationis negationíſq;, nunc explicabimus. Dicimus itaq; ab ijs quæ molliorem oppoſitionem haberẽt,relatiuis inquam occœpiſſe. Hæc enim ſua oppoſitione nõ ſe mutuò ſolum nõ corrumpunt,ſed ſi mul etiam inuehunt:quippe vno poſito,verbi gratia patre, ſecum alterũ quoq; infertur, vt filius:ſublatóq; vno,ſimul aufertur & alterum:cũ alterũ ipſum eſſe alteri pręſtet. Locũ ſecundũ obtinet contrariorum oppoſitio,vt albi & nigri:horum enim eſt oppoſitio quodam pacto valentior: quoniam nõ ſe mutuò duntaxat non inferunt,ſed etiam corrumpunt: alterum enim nõ permanet vno præſente: quanquam hæc inuicem quoque in ſe tranſmutentur,vt calidum & frigidum:album & nigrum. Tertium obtinent ordinem, quæ per habitum ac priuationẽ repugnant: eſt enim horũ validior oppoſitio,contrariorũ oppoſitione:nam mutantur in ſe inuicem contraria, priuatio nũquam in habitũ tranſit: neque enim ex cæco quis rurſus videbit, ratione ſaltem naturali vel artificiali,niſi id diuina poteſtate acciderit. Poſtremo loco ſita ſunt quæ per affirmationem negationémque opponuntur: quippe horum oppoſitio valentior eſt, quoniam in omnibus quæ ſunt & non ſunt,verum falſúmque diuidit. Dicitur enim Socrates vel eſſe dexter, vel dexter non eſſe:veráq; hæc ſanè diuiſio eſt,vel ſi ſolus ſit Socrates,vel cum pluribus,vel neque omnino ſit. Nam & ſolus ſi ſit,vera eſt diuiſio quæ eum dicit dextrum non eſſe:ſiue cũ pluribus, ſimiliter. Nam aut dexter eſt inter plures exiſtens,aut nõ eſt dexter,ſed vel medius, vel ſiniſter: vtrumq; autem non dextrum ſignificat. Sed ſi ne omnino quidem etiam ſit,verũ eſt dicere dextrum nõ eſſe:quo modo enim,ſi ne omnino ſit quidẽ? Vox

quoque alba eſſe dicitur,vel non alba: & lapis aut habere viſum, aut non habere. Et verò hanc in omnibus oppoſitionem veram eſſe,non in particularibus ſolum oppoſitionibus,ſed in vniuerſalibus quoq; comperies.Nam quæ ſunt,aut dextra ſunt,aut nõ dextra: vel alba ſunt,vel non alba:vel viſum habent,vel non habent:non enim hæc oppoſitio in corporibus dũtaxat,ſed in incorporeis quoq; obtinet locum: quippe nec illa dextrum habent ſitum:quandoquidem nec corpora ſunt:neq; ſunt alba:neque noſtro ſunt viſu prædita.Quin & non ens neq; dextrum eſt:neq; album:neq; viſum obtinet.Ergo affirmatio & negatio, vti prædiximus, omnia entia & non entia dirimunt, oppoſitiones aliæ minime. Nam nec relatiuorum oppoſitio in omnibus dicitur, ſiquis enim forte ſolus ſit,non eſſe dicitur dexter,aut ſiniſter. Sed neq; vllũ ex incorporeis,vt anima:quippe neq; dextra eſt,neque ſiniſtra.Verum nec contrariorum oppoſitio: eſſe enim vox alba nõ dicitur aut nigra,cum quædam etiam mollis vocetur:neque colorum hi ſunt albi,illi nigri,quãdoquidem ſunt & medij, fuſcus,& pallidus, atq; conſimiles. Sed neque in priuatione & habitu:non enim cæcus eſſe dicitur lapis,vel præditus viſu. Meritò igitur primam dixit oppoſitionem relatiuorum,ſecundam contrariorum,tertiam quæ per priuationem & habitum,quartam quæ per affirmationem negationémq; obitur: orſus nimirum ab ijs quæ oppoſitionem ſunt molliorem ſortita:progreſſúſq; ad ea quæ opponuntur vehementius. *Oppoſita verò ſunt id genus ſingula, vt formula explicem,ceu relatiua quidem,quale duplum dimidio.* Notitiam per hæc nobis quandam eorum tradit, ſermonem in exemplis meditans:tum ita ſeparatim vnumquodque diſcernit à reliquis: nequis eandem horum eſſe oppoſitionem putet. Eandem nanque eſſe oppoſitionem contrariorum relatiuorúmque ſunt quidam ſuſpicati,contrarium enim inquiunt contrario contrarium eſt.Ad hoc igitur res quę cõtrarietatem admittunt qualitates eſſe dicimus, vt album & nigrum, & calidum & frigidum: nemo quippe dixerit album nigro eſſe album, neque nigrum albo nigrum:ipſa tamen ad aliquid ſe habentium eſt contrarietas.Neque abſurdum quidquam ſanè eſt,contrarietatem quæ relatiuorum ſit,alijs in rebus conſpici:nanq; ad aliquid ſpectãtia propria non frui ſubſiſtentia dicebamus, ſed in alijs prædicamentis conſiſtere. *Vt autem contraria, vel vt malum bono.* Bonum hoc loco non ſuperſubſtantiale dicit: quandoquidem huic non eſt oppoſitum malum:ſed illud quod in generatione corruptionéq; verſatur: quod malũ habet contrarium.Eſt enim duplex bonum,alterum per ſe,Deo ſuppetens ſubſtãtialiter, quod contrarium obtinet nullum (nam nihil contrarium eſt ſubſtantiæ) alterum per accidens quod ad diſtinctionem contrarij dicitur, id inquam quod in nobis eſt. Quemadmodum lucem quoque duplicem affirmauimus,tum ſolarem,cui tenebræ oppoſitæ minime ſunt:quoniam ſolis ſubſtãtiam complet, ſubſtantialíſq; eius eſt:tum aëri infuſam, ei per accidens iunctã,cui ſunt tenebræ oppoſitæ, nimirũ & ipſæ aëri lucis receſſu ſuperuenientes. Eſt verò & cognitio duplex,vt Plato quoq; affirmat,altera intellectualis, quæ verũ duntaxat nouit,nec falſum habet oppoſitũ:altera eſt cogitatiua opinio,cui eſt oppoſitum falſum: falſò nanque cogitare opinaríq; contingit: falſò vero non contingit intelligere, ſiquidem mens amens eſſet.Aut enim, inquit Ariſtoteles,attigit mens intelligibile,aut nõ attigit:quocirca vacat errore.Huic igitur apud nos bono, generabili inquam, malum eſſe oppoſitum dicit.

62 Quæcunque igitur vt ad aliquid opponuntur, ea ipſa quæ ſunt oppoſitorum dicũtur,aut quomodolibet aliter ad ipſa: vt duplum dimidij,hoc ipſum quod eſt,alterius dicitur: alicuius enim duplum dicitur: & ſcientia ſcibili, tanquam ea quæ ſunt ad aliquid opponitur. Et dicitur ſcientia ipſum quod eſt ſcibilis:& ſcibile dicitur ipſum quod eſt oppoſitum ad ſcientiam:ſcibile enim aliquo dicitur ſcilicet ſcientia ſcibile. Quæcunque ergo oppoſita ſunt tanquam ad aliquid,ea ipſa quæ ſunt oppoſitorum,vel alio quolibet modo adinuicem dicuntur.

Quæ ergo vt ad aliquid ſunt oppoſita,ea quæ ſunt,aliorum eſſe dicuntur, aut ad ipſa quouis aliter modo.

Relatiuorum oppoſitionem vult cum contrariorum oppoſitione non eandem eſſe demonſtrare:probatq; id,tali in ſecũda figura vtens ſyllogiſmo:Quæ oppoſita ſunt vt ad aliquid,ea quæ ſunt,aliorum dicuntur,vt dextrum ſiniſtri dicitur dextrum:quæ verò vt contraria ſunt oppoſita,non ea quæ ſunt dicuntur aliorum:nam album nigri album non dicitur: oppoſita ergo vt ad aliquid ab oppoſitis vt contraria diuerſa ſunt.

Illa vero quæ opponuntur vt contraria, ea ipſa quidem quæ ſunt nullo 63
modo ad ſe inuicem dicuntur: contraria tamen ſibi inuicem dicuntur:neque enim bonum mali dicitur bonum,ſed contrarium:quare differunt ab inuicem hæ oppoſitiones. Quæcunq; verò contrariorum talia ſunt,vt in quibus nata ſunt fieri, & de quibus prædicantur, neceſſarium ſit alterum ipſorum ineſſe, horũ nihil eſt medium. Quorum verò nõ eſt neceſſarium alterum ineſſe,horum omnino eſt aliquid medium:vt ægritudo & ſanitas in corpore animalis nata ſunt fieri: & neceſſarium eſt alterum ipſorum ineſſe animalis corpori,vel ægritudinem,vel ſanitatem. Et par quidẽ & impar de numero prædicantur : & neceſſe eſt horum alterum numero ineſſe vel par vel impar: & non eſt horũ aliquod medium, neq; ægritudinis & ſanitatis:neq; imparis atq; paris . Quorum autẽ non eſt neceſſarium alterũ ineſſe,eorum eſt aliquod medium:vt nigrum & album in corpore animalis nata ſunt fieri: & non eſt neceſſarium alterum eorum ineſſe corpori:nõ enim omne corpus vel album vel nigrum eſt.Sed & prauum & ſtudioſum prædicantur quidem de homine,& de alijs cõpluribus:non eſt autem neceſſarium alterum eorum ineſſe ijs de quibus prædicantur: non enim omnia aut praua aut ſtudioſa ſunt:ſed eſt aliquid eorum medium : vt albi & nigri fuſcum & pallidum:& quicunque alij colores : praui vero & ſtudioſi, quod neq; prauum neq; ſtudioſum eſt. In aliquibus igitur medijs poſita ſunt nomina:vt albi & nigri fuſcum & pallidum, & quicunque alij huiuſmodi colores: in aliquibus verò non eſt nomine facile medium aſſignare: vtriuſq; verò extremorum negatione medium definitur: vt quod neque bonum neque malum eſt,nequeiuſtum neque iniuſtum.

Quæ autem ſunt eiuſmodi contraria, vt in quibus fieri natura ſunt idonea , vel de quibus prædicantur,ipſorum ineſſe alterum ſit neceſſe,eorum nihil eſt medium.

Diſcreta relatiuorum à contrariorũ oppoſitione,nunc ſeiungere eam à cęteris cogitat: priúſq; ab habitus & priuationis oppoſitione diſcriminat. Quoniam verò ad hoc ei diuerſarum enumeratio confert ſpecierũ, quæ per habitũ priuationémq; ſunt oppoſitæ, prius tradit nobis harũ differentias,ſpeciéſq; ante hæc prodit diuerſas contrariorum. Nimirũ enim has quoq; ab ijs protinus diſcernit quæ per habitũ priuationémq; opponuntur,poſt varias autẽ oppoſitorum per habitum priuationémq; enumeratas ſpecies,eorũ quoq; exponit differentias,quæ per affirmationẽ negationémq; obluctantur,poſtremò igitur hęc quoq; à cæteris diſcernit.Nam ſi oppoſitionis cuiuſq; differentias conſequentiáq; nouerimus,oppoſitionum quoq; inter ſe diſcrimina facilè intelligemus. Primum igitur contrariorum,vt dictum eſt,diuiſionem tradit.Habet autẽ hunc in modum poteſtate:Contrariorum alia medio carent,vt par & impar:alia medium obtinent,vt album & nigrum (medium enim fuſcum eſt, & colores reliqui.) Ac medio præditorũ quædã ſic habẽt,vt abeſſe vtraq; à ſubiecto valeant,neq; enim corpus omne albũ ſimul eſſe vel nigrũ eſt neceſſe,nã eſſe & fuſcũ poteſt. Quædã ita,vt ex neceſſitate præſinitè alterũ,nec quodlibet, adſit ſubiecto, vt caliditas in igne,nec vnq̃ frigiditas.Similiter & í niue frigiditas,calidi-

nunquam:quòd horum ſic vtrũq; naturâ ſit cõparatum. Atq; hæc quidem tum diuiſio, tum ſubdiuiſio eſt.Cæterum ſuperdiuiduntur & hoc pacto contraria medijs prędita.Mediatorum contrariorum quorundam media ſunt nominibus,quorundã orationibus,atq; extremorum negatione explicata.Nominib⁹ vocata ſunt,quæ albo nigróq; interiacent, vt fuſcum,pallidum,flauum,& ſimilia: quod autem inter vitioſum ſtudioſúmq; eſt medium,id non exprimitur nomine, ſed negatione extremorum indicatur, quod neq; vitioſum neq; ſtudioſum eſt. *Quæ autem ſunt eiuſmodi contraria, vt in quibus fieri natura ſunt idonea, vel de quibus prædicantur.* Contraria partim per accidens,partim per ſe ſunt in ſubiecto. Declarauit igit per hæc verba,fieri naturâ ſunt idonea,quæ per accidens: per prædicari,quæ per ſe ſubiecto inſunt.Porrò ipſum per ſe duplex eſt, vt in demonſtratiua ipſe cõmentatione affirmat: alterum quod pars definitionis ſubiectæ rei fit,vt animal,rationale: ſunt enim per ſe hæc in homine, atq; in eius definitione aſſumuntur: alterum in cuius finitione ſubiectum accipitur,vt par & impar: ſimitas & deſimitas (per deſimitatem intelligo, adunci naſi affectum,quem græci χυπότητα dicunt) nanq; & par & impar finientes ſubiecti meminimus,numeri inquam.Par enim dicimus,numerum qui bipartitò ac æq; diuiditur:& impar,numerum qui in partes æquales duas ſecari nequit.At numerum finientes nõ neceſſe eſt paris meminiſſe, eſt enim multitudo collectióq; vnitatũ numerus,etſi numerus omnis maximè aut par eſt aut impar.Simitatem quoque ac deſimitatem finiẽtes,ſubiectum hoc eſt naſum neceſſariò cõmemoramus: ſimitatem dicentes cauitatem eſſe in naſo:deſimitatem gibbum in naſo. *Ipſorum ineſſe alterum ſit neceſſe,eorum nihil eſt mediũ.* Quod dicere vult his verbis,huiuſmodi eſt:Quæcunq; ſunt id genus contraria,vt ipſorũ ineſſe alterum, vel vt per ſeſe,vel vt per accidens ex neceſſitate oporteat, horũ nihil interiacet medium. Quæ vero ſunt eius notæ vt ambo à ſubiecto abeſſe poſſint contraria, in quo vel per ſe,vel per accidens inſunt,hæc medio non carent, ſed aliquod habent interſitum medium.Exemplum prioris.Contrariorum quæ per ſe inſunt,par & impar,horum enim nihil in medio eſt. Prædicatur autẽ par & impar de numero, eſt enim numerus omnis aut par aut impar, nec qui id genus non ſit,dici poterit numerus. Eorum autem quæ per accidens inſunt contrariorũ,morbus & ſanitas:nam nec eſt aliquid horum medium,ſed adeſſe ex neceſſitate eorum alterum animalis corpori eſt opus, vel ſanitatem, vel morbum : vt per morbum, omnem quouis modo à naturali ſtatu egreſſum capiamus.Secũdi exemplum.Eorum quæ per ſe adſunt:vt caliditas igni,& aquæ frigiditas: medium enim eſt horum aliquod,tepidum puta: eorum verò quæ per accidens,vt nigrũ in nobis atq; album,quibus fuſcum eſt medium.*Et verò prauum ſtudioſúmq; de hominibus prædicatur,aliiſq; compluribus.* Nam non in hominibus ſolum,ſed in alijs quoque prauum ac ſtudioſum dicimus,vt in equo. *In nonnullis itaque impoſita ſunt medijs nomina.* Per hoc,vti iam diximus, alio pacto mediatorum contrariorum ſubdiuiſionem facit: ſubdiuiſis iam ante his ipſis in ea quæ abeſſe à ſubiecto ambo poſſunt, & quæ per oppoſitorum alterum ſubiecto,ex neceſſitate ineſſe naturâ ſunt comparata.

64 Priuatio vero & habitus dicuntur quidem circa idem aliquid: vt viſio & cæcitas circa oculum.Vniuerſaliter autem dicere eſt in quo natus eſt habitus fieri, circa hoc dicitur vtrunq; eorum fieri:priuari verò tunc dicimus vnumquodq; habitu ſuſceptibilium,quando in quo natum eſt ineſſe, vel quando illud natum eſt habere,nullo modo inſit.Edentulum enim dicimus non quod non habet dentes,& cæcum non quod non habet viſum: ſed quod nõ habet quando natũ eſt habere:aliqua enim ex natiuitate neq; dentes habent,neq; viſum: ſed non dicuntur edentula, neq; cæca. Priuari verò & habere habitũ non eſt priuatio & habitus. Habitus enim viſus eſt, priuatio vero cæcitas: habere autem viſum,non eſt viſus: nec cæcum eſſe, cæcitas. Priuatio enim quædam eſt cæcitas : cæcum verò eſſe priuari, non

priuatio eſt. Amplius. Si idem eſſet cæcitas & cæcum eſſe, vtraq; de eodem prædicarentur, ſed cæcus quidem dicitur homo, cæcitas vero homo nullo modo dicitur. Opponi quidẽ etiam iſta videntur, priuari ſcilicet & habere habitum, quemadmodum priuatio & habitus; idẽ enim modus eſt oppoſitionis: nam ſicut cęcitas viſui opponitur, ſic cęcum eſſe & viſum habere, opponuntur. Non eſt autem neq; hoc quod ſub affirmatione & negatione eſt, affirmatio & negatio. Affirmatio nanq; oratio affirmatiua eſt: & negatio oratio negatiua: quod vero ſub affirmatione & negatione eſt, nulla eſt oratio: ſed res. Dicuntur autem hæc eſſe oppoſita adinuicem, tanquam affirmatio & negatio: nam & in his modus oppoſitionis idem eſt: ſicut enim affirmatio ad negationem opponitur, vt quod ſedet, ei quod non ſedet: ſic & res quæ ſub vtroque eſt opponitur, ſcilicet ſedere aliquem ad nõ ſedere.

Priuatio & habitus circa idem aliquod dicitur.

Cum diuerſa contrariorum oppoſita ſignificata prodiderit, nunc eò conuertitur vt de priuatione atq; habitu doceat. Iam enim diximus horum ipſi præceptionẽ vt à relatiuis ea dirimat cõferre: neq; vt ab ijs ſolum, ſed ab alijs quoq; oppoſitis diſcernat. *Vniuerſaliter autem loquendo in quo fieri habitum natura comparatum eſt, eorum vtrunq; circa id dicitur.* Vt rem deſignaret, in quo naturâ comparatum eſt dixit, quò particulare oſtenderet: naturâ autẽ cõparatum ad habendũ dixit, vt tempus indicaret. Illud verò ſciendũ eſt, aut eſſe priuationem ſubſtantiæ, aut facultatis, aut habitus, aut actionis, aut rectitudinis, aut perfectionis. Sed nomen ac res, priuatiua in quibuſdam ſunt, vt in ſenſibili: in quibuſdam nomen ſolum, vt in immortali, atq; incorporeo, illo quod à corpore in oppoſitũ ſeiungitur: in alijs res dũtaxat: non etiam nomen, in ſurdo, & cæco. Tria ſunt in habitu priuationéq; obſeruanda: quod accipere natum eſt: & quãdo accipere, id eſt quo tempore ſit aptum naturâ: & in qua parte accipere. Circa quam rem verò dicitur habitus, circa eandem & priuatio ſpectatur, non enim viſu priuatum eſſe dicimus lapidem: quoniam ne omninò quidem viſum recipere ſuapte naturâ eſt aptus: neq; viſu priuatum in pedibus hominem: quando viſum ab eo hac in parte obtineri natura noluit. Sed nec catulum viſu orbatum vocamus: quoniam eo tempore viſu frui haudquaquam eſt naturâ idoneus. At hominem in facie viſu priuatum appellamus, quòd homo viſus compos eſſe naturæ beneficio eſt aptus, & hac in parte, atq; hoc ſimiliter tẽpore. Dicimus quoq; edentulum non eum abſolutè qui dentes non habeat: haud enim ſanè & recens natum: cum ad habendum tunc non ſit natura aptus: quo modo nec cæcum catulum: ſed eum verbi gratia edentulum nominamus qui à ſenectute vel affectu priuatus eſt dentibus. *Priuatum verò eſſe & habitum obtinere nõ eſt priuatio & habitus.* Vult hiſce Philoſophꝰ, nõ eſſe idẽ priuatũ eſſe cũ priuatione, neq; habitum obtinere cũ habitu, oſtẽdere. Nã qualitates quidẽ ſunt habitus ipſe ac priuatio: qualia verò ea quæ habitũ ac priuationẽ habent: denominatiuéq; ab ipſis dicũtur, vt albedo & albũ: eſt enim qualitas illa: hoc quale, denominatiuè ab ea deductũ. Oſtendit hoc porrò Philoſophus habitũ inquam aliud eſſe & habere habitũ, nõ per genera, hoc eſt per habitũ & habitu præditum, vel per priuationẽ & priuatione affectum, ſed per ſpecies, hoc eſt viſum ac cæcitatẽ, & eũ qui viſum cæcitatémq; obtinet: quippe notiores ſunt ſpecies generibus. Per ſpicuum nanq; in his eſt aliud cæcitatem, aliud habẽs cæcitatẽ eſſe: & aliud viſum, aliud qui viſum habeat: ſunt enim qualitates illa: hęc participes earũ ſubſtantiæ: itaq; ſi diuerſa ſint hæc, erũt & horũ diuerſa genera. Vt enim viſus cæcitáſq; ad eum qui viſu ac cæcitate præditus eſt ſeſe habet, ſic habitus & priuatio ad eũ qui habitũ & priuationem obtinet: quoniã vt ad habitũ quoq; ac priuationẽ ſeſe habẽt viſus & cæcitas, ſic cui viſus & cæcitas eſt, ad eũ qui habitu & priuatione præditus eſt, ſeſe habet: cũ eorũ ſint ſpecies. Ergo ſi diuerſa ſunt hæc, viſus inquã & habens viſum, & cæcitas ac cæcitatem habens, erunt & genera eorũ diuerſa, habitus inquam & qui habitum poſſidet: & priuatio ac

priuationem obtinens. Nam ſi cæcitas idem eſſet ac cæcum eſſe, prędicaretur de eodem vtrunq;.Et aliter,ſi viſus eſſet idem inquit & viſum habens, ambo de ſubiecto eodē prædicarentur.Vt enim mortalis,& homo,& rationalis,cum idem ſint,de vno ſubiecto prædicantur,ita hæc quoq;ſi eſſent eadem,de vno ſubiecto eodémque dicerētur:nunc verò habere homo cæcitatem aut viſum fertur,cæcitas autem vel viſus ſimpliciter eſſe nō dicitur:quamobrem vel ex hoc conſtat eſſe hæc differentia.Verum tametſi diuerſa hęc inquit ſunt, habent eundem tamen oppoſitionis modum . Nam vt cæcitati obiacet viſus, quemadmodum priuatio habitui:ſic habere viſum & cæcitatem,per habitum ſunt priuationémque oppoſita. *Neq; verò quod ſub affirmatione negationéque comprehenditur idem affirmationi eſt & negationi.* Nec quod ſub affirmatione ac negatione continetur,id affirmatio eſt & negatio. Quòd autem non idem ſit affirmatio & negatio cum illis quæ ab ijs ſignificantur, probat ex eo quòd orationes ſint affirmatio ac negatio : res vero,quæ ab ipſis indicantur. Nam ſedet Socrates,oratio eſt:res autem, ſedens ipſe Socrates, eſt enim ſubſtantia cum actione quadam, cum eo inquam quod ſedere eſt . Et verò eodem hæc oppoſitionis modo ſibi mutuò refragantur.Etenim quemadmodum Socrates ſedet dicens oratio,Socrates non ſedet dicenti aduerſatur: ita & ſedens Socrates non ſedenti repugnat: oppoſitio enim vtraq;,vt affirmatio negatióque obnititur.

65 Quòd autem priuatio & habitus non opponantur vt ad aliquid,manifeſtum eſt:non enim dicitur idipſum quod eſt oppoſiti.Viſus enim non eſt cæcitatis viſus: nec vllo alio modo ad ipſum dicitur. ſimiliter autem neq; cæcitas viſionis cæcitas dicatur:ſed priuatio quidem viſionis dicitur:cæcitas vero viſionis nō dicitur:neq; viſus cæcitatis.Amplius.Ad aliquid omnia ad conuertentia dicuntur: quare ſi cæcitas eorum quæ ad aliquid ſunt eſſet,vtique & conuerteretur ad illud ad quod dicitur : ſed non conuertitur:non enim dicitur viſus,cæcitatis viſus.

Quòd autem non vt relatiua priuatio habituſque opponantur perſpectum eſt.

Cum nos de oppoſitione ſeorſum vnaquaq; docuerit, nunc diſcretionem earum facit: oppoſitáq; vt ad aliquid ab oppoſitis per habitum ac priuationem diſcriminat:iam enim ea à contrarijs diduxit.Sermonem autem in ſpeciebus rurſus vtpote clarioribus exercet, viſu inquam & cæcitate : ac primum quidem ita probat , iterum ſyllogiſmo in ſecunda vtens figura.Relatiua,ea ipſa quæ ſunt dicuntur oppoſiti.Nam pater filij pater,& dextrū ſiniſtri dicitur dextrum: quæ autem per habitum ac priuationem obſtant,nō ea ipſa quæ ſunt oppoſitorum perhibentur (viſus quippe non cæcitatis eſſe viſus dicitur) ergo relatiuè oppoſita ab ijs quæ per habitum priuationémq; opponuntur,diuerſa ſunt. Atq; ita primum quidem ab illuſtriore confeſſóq; demonſtrauit,ab eo inquam ꝙ viſus non cęcitatis viſus dicatur:dein poſt quoq; & ab ambiguo, nempe ꝙ nec cæcitas viſus dicatur cæcitas: nam hoc dici videtur.*Nec aliter vllo ad ipſum modo viſus dicitur.* Hoc eſt quocunq; modo finxeris nomina, nullo pacto ad oppoſitum dicitur. Quod ergo dixit nec vllo modo , ſiue per ablatiuum, ſiue per alium caſum aſſignaueris, indicat: neq; enim viſus cæcitate eſt viſus, eodem modo nec cæcitas viſus dicitur cæcitas:quippe qui viſus eſt, is non fit cæcitas, tametſi cæcus fit oculus . Non itaq; cæcitas viſus cæcitas dicitur, ſed viſus priuatio cæcitas. Nam nec tenebræ lucis dicuntur tenebræ, ſed lucis priuatio : quippè nec lux fit tenebræ, ſed tenebroſus aer,quāquam per lucis obūbrationem. Sciendum porrò eſt, non videndi actum ſolum,ſed ſubiectum quoq; hoc eſt oculum gręcis viſus nomine indicari.Cum ergo in confeſſo,id eſt viſu,non eum dici ad oppoſitū probauerit,nūc in ambiguo demonſtrat. Nam cæcitas,inquit, priuatio quidē dicitur viſus, cæcitas autem viſus nequaquam. Niſi fortè cæcitatem non viſus cæcitatem dici,perperam pronunciari,arbitramur. Nam ſi priuationem,vt ipſe quoq; inquit,viſus dicimus, genus autem ſi de quoquam prædicetur, ſpeciem quoque eius aliquam prorſus de quoquam prædicari eſt neceſſe.(non enim quidquam eſſe animal poteſt,quod omnino aut homo,aut equus,aut aliorum quodpiam

non ſit animalium: ſimiliter nec priuationem eſſe licet, niſi quidquam ſit omninò cuius eſſe priuatio dicatur,) prorſus ergo eſt neceſſe oppoſitam quoq; illi ſecũdum ſpeciem habitudini,priuationem illius eſſe perhiberi:quippe viſus priuatio non ſimpliciter vniuerſalitérq; omnino priuatio eſt:ſed quædam videlicet priuatio,id eſt cæcitas.Ergo ſi viſus priuatio,eſt quædam priuatio, ipſa autem quædam priuatio nihil quàm cæcitas aliud eſt,cæcitas ergo eſt viſus cęcitas.Quî enim fieri poſſit,quin cum dicatur alicuius eſſe genus,ſpecies quoq; alicuius eſſe affirmetur,ſi quidem ni ſpecies aliqua ſit,genera exiſtere minime poſſunt?aut ergo nec genus,id eſt priuatio,viſus eſſe priuatio dicitur:aut ſi gen⁹,omnino & ſpecies aliqua. Sed ad hoc dixerit quiſquam fortaſſis, ſi ſcientiæ priuationem dicimus, ſpeciem priuationis huius aliquam (quod ad rationem hanc attinet,) eſſe oportere, quæ de ſcientia prædicabitur,aut ad eam dicetur:nunc verò cum prędicetur de ſciẽtia genus, quampiam de eadem prædicari ſpeciem,non comperimus. Dicere ergo ad id poſſumus, nec nominatam haberi oppoſitam ſcientiæ priuationem,quemadmodum oppoſita viſui priuatio cæcitas nuncupatur.Nam ſi eſſet,ad ſciẽtiam illa quoq;,vt cæcitas viſus cæcitas, diceretur. Vbi enim priuationes per habituum priuationem nominamus, vt inſcitiam, indocilitatem,indoctum,ac ſimilia, non talia item eſſe oppoſiti, ſed recipientis dicũtur. Non enim inſcitia ſciẽtiæ fertur inſcitia,ſed animi inſcitia:& indocilitas:& reliqua: quippe in ſeipſis oppoſitũ de quo priuationẽ prædicant habent. Verum priuatio etſi id ipſum quod eſt fertur eſſe oppoſiti, non genus ipſum dũtaxat, ſed ſi ſpecies quoq; nomẽ adepta ſub hac quępiam ſit:non propterea tamen & habitus id ipſum quod eſt priuationis eſſe dicitur.At oppoſitorum vtrunq; relatiuorum, id ipſum quod eſt, oppoſiti eſſe perhibetur, vt Ariſtoteles deinceps affirmat:quamobrem per habitum priuationémq; oppoſita à relatiuis ſecerni hac ratione poſſunt.Quin & hoc affirmare habeas, non quo modo ad aliquid ſpectantia ea ipſa quæ ſunt eſſe aliorum dicũtur, ſic priuationem quoq; eſſe habitus priuationem dici.Nanq; in relatiuis,vt quæ cauſæ ſibi mutuò ſunt,ſic eſſe vtrunq; oppoſitorũ dicitur reliqui:habitudinis verò eſſe fertur priuatio,ceu quæ illi non vt ſit, ſed contra,vt non ſit cauſam pręſtet.An verò eſt Ariſtotelis dicto opitulari,priuationem dici viſus eſſe priuationem aſſerenti,cæcitatem autem viſus non item? Ecce itaq; lucis quoque priuationem,tenebras autem lucis non etiam dicimus:tametſi nihil aliud ſunt tenebræ quàm lucis priuatio,vt viſus priuatio cæcitas,velut alibi nobis pluribus oſtenſum eſt.Verum quemadmodum crurum verbi gratia læſionem vocamus,haud vero etiam læſionẽ integritatis,vel rectitudinis,vel quouis modo crurum ſitum naturalem appellaueris,dicimus: ſic tenebras quoq; aeris,lucis autẽ tenebras nõ etiam nominamus.Ergo nec viſus cæcitatem:ſed ſi quidem loquendum ſit,oculorum cæcitatem vt oculorum quoq; læſionem nuncupamus: ſignificat enim partem oculus viſionis participem: viſio poteſtatem ipſam.Verum quoniam vt in qualitatibus alijs quoq; ſæpenumero qualitate affectũ corpus æquiuocè cum qualitate nominamus,albúmque tum dealbatum corpus,tum ipſam appellamus albedinem,& calidum frigidúmq; ſimiliter,& graue ac leue,& reliqua:ita viſum quoq; nõ de poteſtate ſolum,ſed de ipſis etiam inſtrumẽtis dicimus: oculóſq; ipſos viſum ſeu lumina vocamus.Cæcitatem verò oculorum eſſe,propriè dicimus:at oculi vti prodidimus viſus proprie græcis vocantur, ob id itaq; cæcitatem quoq; viſus dicimus,nõ de facultate viſus nomen,ſed de inſtrumentis nimirum dicentes.Ariſtoteles autem cæcitatem non ad oppoſitam facultatẽ dici,id quod verum eſt,arbitratur.Reliquum eſt igitur,illud ſoluamus,quomodo cum genus cæcitatis,priuatio inquam, eſſe prodatur habitudinis, non ſpecies quæuis etiam priuationis, oppoſitæ cuiuſpiam eſſe habitudinis dicatur:ſi verum quidem ſit,in quibus dicitur genus,omninò ſubiectam quoq; generi prædicari aliquam ſpeciem.Habitus igitur res quaſdam eſſe formam adeptas ſubſiſtẽtéſq; aio. Proinde genus cum ſit habitudo, ſubiectas quoq; ipſi ſpecies iure exiſtẽtes ac forma quapiã naturali præditas obtinet ſingulas . At priuatio nihil aliud porrò eſt quàm habitus abſentia, quamobrem non ens eſt ipſa ſua ipſius ratione. Quónam igitur modo non entis vt exiſtentis aliquas ſpecies quærimus? Quare tametſi ſpecialior aliqua cuiquam habitui ſit priuatio oppoſita,non vt ens aliquod tamen,ſed rurſum vt non ens per habitus nega-

tionem opponitur,vt docto indoctum,& dentes obtinenti edentulum,ab e priuatiua particula,& dente.Itaq; & particulares hæ priuationes perinde ac genus per habitus negationem dicuntur.Quòd ſi priuationi cuiquam inditum nomen vſquam fuerit inuẽtum,vt viſus abſentia cæcitas nominatur,vel luminis abſentia tenebræ,non de habitus abſentia, ſed de affectu penes ſubiectum genito, aut aliqua re alia quæ habitudinis abſentiæ ſuperuenit eiuſmodi prædicatur nomen:vt σκότος id eſt tenebræ,dicitur à verbo σκιάζειν quod eſt obumbrare,eſt autem vmbra lucis impedimentũ quod in aere, vel ſimpliciter in perlucido contingit. Vel, vt Herodianus autor eſt,à verbo σχέθειν quod eſt detinere. detinet enim quo minus intelligamus,aut aggreſſus actúſq; cõplures remoratur.Et verò τύφλωσις forte id eſt cæcitas à τύφειν id eſt inurẽdo deducitur,& τυφλὸς id eſt cæcus, quaſi τυφὸς, hoc eſt inuſtos habens oculos nominatur.Oculi enim(inquit Poeta)paulatim vrũtur inanes.Quemadmodum πωρὸς quoque id eſt oblæſus à πήθω,πήσω id eſt patior, patiar,vt ab ὀκνῶ,ὀκνήσω,ὀκνηρὸς,hoc eſt,à pigreſco,pigreſcam,piger factum eſt. Meritò igitur talia eſſe inſtrumentorum dicuntur,nec habituum,ipſorum nanq; ſunt habitibus ſubiectorũ,nec ipſorum habituum affectus.*Item relatiua omnia ad reciprocantia dicuntur.* Alio rurſus probat ſyllogiſmo, diuerſa eſſe vt ad aliquid oppoſita ab ijs quæ per priuationem habitúmq; aduerſantur.Sic enim poteſtate inquit:Quæ ſunt ad aliquid ad conuertentia dicuntur,nam vt pater filij pater, ſic & filius patris filius dicitur: quæ verò per habitum priuationémq; opponuntur,non dicuntur ad conuertentia,(non enim viſus eſſe dicitur cæcitatis viſus) relatiua igitur ab ijs quæ per habitum ac priuationem opponuntur diuerſa ſunt.

66 Quòd autem neq; vt contraria opponuntur,quæ ſecundum priuationẽ & habitum dicuntur,ex his manifeſtum eſt.Contrariorum enim quorum nihil eſt mediũ,neceſſe eſt vel in quibus fieri nata ſunt,aut de quibus prædicantur,alterum ipſorum ineſſe ſemper: eorum enim nihil medium erat quorum alterum ineſſe ſuſceptibili neceſſarium erat: vt in languore & ſanitate:& impari atq; pari.Quorum verò aliquid medium eſt, nũquam neceſſe eſt omni ineſſe alterum:neque enim neceſſe eſt omne ſuſceptibile vel cãdidum,vel nigrum eſſe:neq; frigidum vel calidum: horum enim mediũ aliquid nihil eſſe prohibet.Inſuper autem & horum erat aliquid medium, quorum alterum ineſſe ſuſceptibili nõ neceſſarium erat:præter illa quibus vnum ineſt naturaliter:vt igni calidum eſſe:& niui candidum: in his enim determinatè neceſſarium alterum eſt ineſſe,& non vtrũuis contingit: non enim poſſibile eſt,ignem frigidum eſſe:neque niuem nigram.Quare omnì quidem ſuſceptibili non neceſſarium eſt alterum ipſorum ineſſe:ſed ſolis quibus natura vnum ineſt:& his determinatè vnum, non vtrumuis cõtingit.In priuatione autem & habitu neutrum eorum quæ dicta ſunt verum eſt:nõ enim ſemper alterum eorum ineſſe ſuſceptibili neceſſariũ eſt: quod enim nondum natum eſt habere viſum,neq; cæcum,neq; viſum habens dicitur.Quare non erunt hæc,vt ea contraria quorum nihil eſt medium.Sed neque vt ea quorum aliquid eſt medium:neceſſarium enim eſt,aliquando omni ſuſceptibili alterum eorum ineſſe. Quando enim iam ad habẽdum viſionem natum fuerit, tunc aut cæcum,aut habens viſum dicetur: & eorum non determinatè alterum,ſed vtrumuis contingit: non enim neceſſarium eſt vel cæcum vel viſum habens eſſe:ſed vtrũuis contingit.In cõtrarijs autem quorum aliquid medium eſt, nunquam neceſſarium erat omni

ſuſceptibili alterum ineſſe,ſed quibuſdam,& his determinatè vnum,& nõ vtrumuis contingit. Vnde palàm eſt quòd ſecundum neutrum modorum tanquam contraria opponuntur,ea quæ ſecundum priuationem & habitũ opponũtur. Amplius. In contrarijs quidem cum ſit ſuſceptibile,adinuicẽ mutationem fieri poſſibile eſt : niſi alicui vnũ natura ineſt, vt igni calidũ: etenim ſanum poſſibile eſt languere:& candidum nigrum fieri:& calidum frigidum:& ex ſtudioſo prauum:& ex prauo ſtudioſum fieri poſſibile eſt. Prauus enim ad meliores exercitationes deductus & doctrinas,etſi ad modicum aliquid proficiat vt melior ſit,ſi certè ſemel quãuis modicũ incrementum ſumpſerit,palàm eſt, quia aut perfectè mutabitur,aut ſatis multum incremẽtum ſumet:ſemper enim bene mobilior ad virtutem fit, etiã quodcunq; incremẽtum ſumpſerit à principio. Quare etiam veriſimile eſt plenius eum ſumere incrementum:& hoc dum ſemper fit, perfectè in contrarium habitum reſtituetur:niſi forte tẽpore prohibeatur. Verum in priuatione & habitu impoſſibile eſt adinuicem mutationem fieri . Ex habitu enim in priuationem mutatio fit : à priuatione vero in habitum impoſſibile eſt: neque enim cæcus factus aliquis,rurſus vidit:neque cum caluus fuerit,rurſus comatus factus eſt : neque cum fuerit edentulus , dentes ei iterum orti ſunt.

Quòd verò neq; vt contraria quæ per priuationem atque habitum dicuntur ſint oppoſita, ex his diluceſcit.

Oppoſitionem relatiuorum à contrariorũ & habitus priuationíſq; oppoſitione diſcreuit, nunc deinde quæ per priuationem & habitum , ab ijs quæ vt contraria ſunt oppoſita dirimit. Ac relatiua quidẽ ab affirmatiuè negatiuéq; oppoſitis diſcernere,quod ad conſequentiam attinet, debebat. verum quoniam futurum eſt vt ratione quadam vna quæ per affirmationem negationémq; oppoſita ſunt ſecernat à reliquis,idcirco nũc relatiuorum ab affirmatione ac negatione diſcretionem differt, ne eadem dicere cogatur. Rurſus autem ſpecierum contrariorum enumerationem repetit: vult enim contrariorum omniũ oppoſita habitus priuationíſq; oppoſitioni conferre. *Nam cõtrariorum quibus nihil medium interiacet,neceſſe eſt alterum eſſe in eo,in quo natura eſſe poſſunt.* Numerum enim aut parem eſſe aut imparem omninò,& animal aut malè aut benè valere eſt neceſſe : quibus autẽ mediũ quidquam intercedit,nunquam ineſſe omni alterum neceſſe eſt. Neq; enim corpus ex neceſſitate aut album aut nigrum eſt omne,(nam fuſcum quoq; eſt:)vel rurſus calidum aut frigidum:eſt enim & tepidum. *Præterea eſt & horum medium aliquod quorum ineſſe receptiuo alterum nõ eſt neceſſe:niſi in quibus eſt vnum natura.* Tertia fuit hæc ſpecies contrariorum, quæ aliquod obtinet medium:niſi adſit ex neceſſitate contrariorum alterum acceptiuo,quoniam ſit illi naturâ inſitum,vt igni calidum,album niui. Nunquam verò contrariorum vtrunq; à ſuſceptiuo poteſt abeſſe:quippe fieri nequit vt calidus nõ ſit ignis: nix non frigida: terra nõ grauis:ignis non leuis. *At in priuatione atq; habitu neutrum eſt ex ijs quæ dicimus verum.* Cum diuerſos nobis cõtrariorum oppoſitionis modos ad memoriam reuocauerit,nunc nullo ex dictis modo contrariorum oppoſitionem eſſe cum priuationis habitúſq; oppoſitione eandem poſſe oſtendit:priúſq; à contrarijs eam medio carentibus diſcernit.ita enim inquit: *Neq; enim ſuſceptiuo ineſſe eorum alterum perpetuo eſt neceſſe.* Nam in contrarijs quæ medio carent ineſt ex neceſſitate alterum ſubiecto:at in ijs quæ per habitum ſunt priuationémq; oppoſita,ſubiecto non adeſt neceſſariò alterum:ſed poteſt vtrunq; abeſſe:quippe nec cæcus catulus eſt,nec viſum obtinet:& editus recens in lucẽ puerulus neq; edentulus eſt,nec præditus dentibus . At verò numerus eſt aut par prorſus,aut impar: & animal ex neceſſitate vel ægrotat,vel ſecunda fruitur valetudine. Aliter ergo quæ medijs vacant contraria,ali-

ter priuatio habitúſq; opponuntur. *Sed nec quibus eſt interſitum medium. Suſceptiuo nanq; omni aliquãdo ineſſe ipſorum neceſſe eſt alterum.* Nunc quæ per priuationem atq; habitũ ſunt oppoſita à contrarijs medium obtinentibus diſcernit, ac primũ ſanè ab ijs contrarijs, quorũ vtrũq; poteſt à ſubiecto ſuapte natura abeſſe. Nanq; ex oppoſitis per habitum ac priuationem cum horũ capax ſubiectum fuerit, adeſt ipſi ex neceſſitate alterũ. Cum enim iam aptus naturâ eſt Socrates, dicetur neceſſariò aut cæcus eſſe, aut viſu frui, nõ ita verò in cõtrarijs. Quippe non eſt ex neceſſitate vel albus vel niger, ſiquidem ipſe neutrum eſſe horũ poteſt, quãuis naturâ contrario vtroq; recipiendo ſit aptus. *Nec definite horum alterũ, ſed vtrumuis cõtingat.* His rurſus per priuationem habitúmq; inter ſe aduerſa à mediatis contrarijs diducit, in quibus alterum præfinitè contrariorũ ſuſceptiuo adeſſe eſt naturâ idoneum. Nam in priuatione & habitu non adeſt tunc, inquit, præfinitè alterum ſubiecto cum ſuapte natura capax eſt, ſed vtrũuis euenire poteſt, non eſt enim aut cæcus definitè Socrates, aut viſu præditus: ſed vtcunq; acciderit. In mediatis verò contrarijs in quibus adeſt alterum per naturam ſubiecto, vnum adeſſe certũ neceſſe eſt, nec vnquam contrarium: adeſt enim igni calor diſtinctè: albedo & frigiditas niui: contrariũ nunquam. Id tamẽ ob ſubiecti naturam, cum alioqui intercipiantur medijs per ſe caliditas ac frigiditas. Eadem itaq; cum neutro mediatorum cõtrariorum modo priuationis habitúſq; oppoſitio eſt. *Item in contrarijs, ſi exceptiuum exiſtat, poteſt vtriuſq; in alterum mutatio fieri.* Cum diuiſis contrarijs, eandẽ nulli ipſorũ ſpeciei eſſe priuationis habitúſq; oppoſitionẽ particulatim oſtenderit, hæc nunc à ſe mutuò vniuerſali ſermone diſcriminat, ſic inquiens: Cõtraria in ſe inuicem cõmeant, nam calidũ in frigidum, & frigidum in calidum: & nigrum in album, & album in nigrum demutatur: quæ autem ſunt per priuationẽ habitúmq; oppoſita, non in ſe mutuò tranſeũt. Tametſi enim in cæcitatem viſus degeneret, non redit tamen & cæcitas ad viſum, non ſunt eadem igitur cõtraria cum his quæ per priuationem & habitũ opponuntur. Probè autem dixit, ſi exceptiuum exiſtat: quippe ob id & cõtrariorum in ſe per vices mutatio fit: quãdoquidem ipſæ per ſe qualitates ſunt immutabiles, in ſubiecto verò cum ſunt, mutationem ſuſtinent. Probè etiã poteſt, dixit, non enim mutuũ ſemper in ſe faciunt tranſitũ contraria: nam quæ definitè cuiquam ſubiecto naturâ inſunt, hæc nũquam in contraria mutantur. Quippe nec ignis caliditas in frigiditatem, nec niuis frigiditas aut cãdor in calorẽ vel nigritiem cõmigrauerit. *Poteſt & vitioſum ex ſtudioſo, & ſtudioſum ex vitioſo fieri.* Quòd fieri quidem è ſtudioſo vitioſus poſſit, non oſtendit: probat autem ex vitioſo ſtudioſum reddi. Porrò ſtudioſum hîc vocat, non cõſummatũ, quíq; id quod eſt in ſcientia præcipuũ obtinet, nam is habitũ poſſidet immutabilem: quippe qui nõ ſolum intelligat, virtutẽ, honeſtum eſſe, ſed etiam cur honeſtũ ſit. Non hũc igitur inquit mutari, ſed rectæ opinionis hominẽ: is enim labi in deterius poteſt falſis perſuaſus rationibus, aut ab hominibus malis deceptus, cum quãobrem honeſtum virtus ſit neſciat. *Idq; ſi aſſiduè fiat, prorſus in contrarium habitum reſtituitur, niſi tempus prohibeat.* Veriſimile eſt enim vel interrumpi morbo continuitatem: vel negociorum curis: vel prauorum hominum conſuetudine. Et verò aliter, ſiquis in poſtrema ſenectute philoſophari cœperit, deinde morte interrumpatur, prius q̃ ad perfectum virtutis habitũ perueniat. *Neq; enim cæcus quis redditus viſum recepit.* Medica certe ratione ac naturali nemo vnquam amiſſam oculorum aciem recuperauit: niſi forte diuina virtus affulſerit.

67 Quæcunq; verò tanquam affirmatio & negatio opponuntur, palàm eſt quòd nullo prædictorum modo opponũtur: in ſolis enim his neceſſarium eſt ſemper hoc quidem eorũ verum, illud autem falſum eſſe. Neq; enim in contrarijs neceſſariũ eſt ſemper alterum verũ eſſe, alterum autem falſum: neq; in ijs quæ ad aliquid ſunt: neq; in habitu & priuatione: vt ſanitas & lãguor cõtraria ſunt: & neutrũ horum neq; verum, neq; falſum eſt. ſimiliter autem & duplum & dimidiũ tanquam ad aliquid oppoſita ſunt: & non eſt eorũ neutrũ neq; verum neq; falſum: ſed neq; ea quæ ſecũdum priuationẽ

& habitum dicũtur,ſicut viſio & cæcitas. Omnino autem eorum quæ ſecundũ nullam dicũtur complexionem nihil neq; verũ neq; falſum eſt:omnia autẽ quæ dicta ſunt,ſine cõplexione dicuntur. Verũtamen maximè tale hoc contingere videbitur, in ijs quæ ſecundũ complexionem contraria dicũtur:ſanum nanq; eſſe Socratem, ac languere Socratem, contrariũ eſt. Sed neq; in his neceſſariũ ſemper alterum verũ eſſe,& alterũ falſum. Cum enim Socrates ſit,aliud quidẽ verum,aliud autem falſum erit: cũ verò nõ ſit,ambo falſa ſunt:neq; enim languere,neq; ſanum eſſe verũ eſt: cum ipſe non ſit omnino Socrates.In priuatione verò & habitu,cum non ſit omnino,neutrum verũ eſt:cum autẽ ſit,non ſemper alterũ quidem verum erit, alterum autem falſum. Habere nanq; viſum Socratem ei quod eſt cæcum eſſe Socratem opponitur,ſicut priuatio & habitus:& cum ſit,non neceſſarium eſt alterũ verum eſſe vel falſum: cum enim nõdum ſit natus habere, vtraq; falſa ſunt:& cum nõ ſit omnino Socrates,ſimiliter quoq; falſa ſunt vtraq; & viſum eum habere,& cæcũ eum eſſe. In affirmatione verò & negatione ſemper ſiue ſit,ſiue non ſit,hoc quidem falſum erit,illud autẽ verum. Languere nanq; Socratem, & non languere Socratem, cum ipſe ſit, palàm eſt ꝙ alterũ eorum verũ,alterum verò falſum eſt:& cũ non ſit, ſimiliter.Languere etenim,cũ nõ ſit,falſum eſt:nõ languere autẽ,verũ.Quare in his ſolis proprium erit ſemper alterũ eorum verũ, alterum falſum eſſe, quæcunq; tanquam affirmatio & negatio opponuntur.

Quæ vero vt affirmatio negatióq; aduerſa ſunt,ea nullo oppoſitorum modo obſtare compertum eſt.

Quæ ad aliquid ſpectant ab oppoſitis per priuationem & habitum ac contrarijs diſiunxit:& hæc ab ijs quæ per priuationem & habitum repugnant.Tres igitur fiunt cõiugationes:ergo & tres aliæ reliquæ ſunt,ſecũdum eam methodum quam in introductione tradidimus. Erat autem id genus methodus: Oportet multiplicare propoſitã multitudinẽ, per numerum propoſita multitudine minorem vnitate,& aſſumere dimidium proueniẽtis numeri,ac tot eſſe coniugationes pronũciare.Sunt res quatuor nobis verbi gratia propoſitæ,has multiplicamus cum numero illis per vnitatem minore, id eſt ternario & fiũt quater tria,duodecim: ſex horum dimidium: tot ergo ſunt coniugationes. Quapropter tribus nobis vt dictum eſt traditis,tres reſtãt reliquæ:quas nunc cõmuni oratione docet. Nam quæ per affirmationem negationémq; opponũtur, nunc cõmuni ratione à cæteris tribus diſcernit. *Nam in ſolis his partem eorum alteram veram eſſe, alteram falſam perpetuo eſt neceſſe.* Si enim dicam Socrates ſedet,Socrates non ſedet:horum alterũ verum eſt, alterum falſum: aliorũ trium nec veritatẽ nec falſitatem vllum ſignificat. Nam ſi pater: vel album, vel nigrum:vel viſum,vel cæcitatem ſexcenties dixero,nullam nec veritatem nec falſitatem indicaui.Quoniam ſi ipſa per ſe ſine verbis proferantur nomina,nec veritatem vllam nec falſitatẽ declarant:ſin verbis coniungantur, tunc vel veritatis ſignificatiua ſunt vel falſitatis.Quin & ipſa ſi per ſe dicantur verba, nec veritatem nec falſitatem indicãt: ꝙ ſi applicentur pronominibus,veritatẽ aut falſitatem oſtendunt,vt ego ambulo.Enimuero & pronomen à verbo ipſo ambulo poteſtate cõtinetur : etenim perſonam declarat. Id comprobant ita eſſe infinitiua : quippe quæ non veritatem declarent falſitatémve, cũ perſonas non indicent vt ambulare,vel currere.Nudum enim ipſum eſt per ſe verbum: nec facultate pronomẽ complectitur: vt ambulo. Ergo ſi per affirmationem ac negationem dicta veritatis ſunt vel falſitatis indicatiua , trium autẽ cæterorum ne vnũ quidem veritatem aut mendacium deſignat, eadem nulli horum oppoſitio per affirmationẽ ne-

gationémq; eſt. *Neq; enim ſemper in contrarijs alterum verum eſſe alterum falſum, neq; in relatiuis, neq; in habitu priuationéque neceſſe eſt.* Aduerbium ſemper eapropter adiecit, quoniam hæc aliquando ſubiectis complexa, capacia veritatis aut falſitatis fiunt: vt benè valet Socrates, nō bene valet Socrates. *Deniq; eorum quæ nulla cōplexione dicuntur, neq; verum neq; falſum eſt vllum.* Quę per nullam dicūtur complexionem, eorum nullum aut verum aut falſum indicat. Nam relatiua, & contraria, & per habitum priuationémq; oppoſita abſq; vllo dicuntur complexu, nihil hæc igitur veri aut falſi declarant, quare nec eadem ſunt cū his quæ per affirmationem atq; negationem dicuntur. *Verumenimuero id in iſtis euenire contrarijs quæ per complexum dicuntur videri poſſit maxime.* Quam quis obijcere ipſi difficultatem potuiſſet, hanc aſſumens ipſe proponit, ac ſoluit. Contraria enim inquit quæ cum ſubiecti dicuntur complexu verum falſúmque diuidunt. Nam ſanus eſt Socrates vel ægrotat, partim verum, partim falſum eſt: ſed & viſum habere vel cæcum eſſe, vel patrem aut filium, hæc quoq; verum aut falſum oſtendunt. Ad hoc igitur etſi hæc inquit verum à falſo diuidere per complexum videantur, multò tamen vel hoc pacto ab affirmatione ac negatione differunt. Affirmatio enim ſemper & negatio in entibus omnibus & non entibus verum falſúmque diuidunt: nam cæcum eſſe Socratem vel cæcum non eſſe, vel album eſſe vel non eſſe album, vel patrem eſſe vel patrem non eſſe, ſiue ſit ipſe, alterum verum ſemper ex neceſſitate eſt, alterum falſum, ſiue non ſit, ſemper verum eſt alterum. Nam qui ne eſt quidem omnino, is neq; pater, neq; cæcus, neque albus eſt. Et qui albam eſſe animam dicit aut albam non eſſe, & habere viſum aut viſum non habere & eſſe dextram aut dextram non eſſe, is parte altera verus erit, altera mentietur. At non ſic habent contraria, ſed ſi quidem ſit Socrates, verum eſſe alterum neceſſe eſt, alterū falſum: nam aut frui illum ſanitate oportet, aut morbo torqueri: ſi non ſit, ambo ſunt falſa. Nam qui prorſus non eſt, quo queat pacto aut ſanus eſſe, aut ægrotare? In priuatione autem & habitu, tum ſi ſit, non ſemper contrariorum verum alterum eſt, ſed ambo interim falſa: tum ſi non ſit, falſum ſemper eſt utrunque. Siquidem edentulum eſſe Socratem, aut habere dentes, ſuperſtite eo, verum non eſt perpetuò alterum, ſed eſt cum falſa ſunt ambo: non exiſtente, ambo ſemper ſunt falſa. Nam qui ne eſt quidem omnino, quomodo aut eſſe edentulus poterit, aut dentatus? Similiter & in catulo, vtrunque & habitus & priuatio, ſiue ſit ille ſiue non ſit, nempe & viſum habere falſum eſt, & cæcū eſſe. Similis quoq; in relatiuis ratio eſt. Nam & eſſe dextrum ſiniſtrúmve, tum exiſtente, non ſemper verum alterum eſt, ſed ambo falſa interim, ſi ſolus quiſpiam ſit: tum falſa ambo rurſus, non exiſtēte. Similiter patrem quoque aut filium eſſe, & niſi ſit, falſa ſunt ambo, & ſi ſit, ambo falſa quandoque. Etenim ſi nec patrem quis nec filium habeat, cuiúſnam pater vocari aut filius poterit, niſi fortè per memoriam? re vera dici poteſt nullius. Quamobrem oppoſita per negationem affirmationémque ab alijs vel hoc pacto non parum differunt. Nam ſi hæc ſemper tum in entibus tum in non entibus verum falſúmque diuidunt, cætera verò in entibus non ſemper, in non entibus nūquam, non idem ergo cum cæteris affirmatio eſt ac negatio. Quin & aliter dixeris. Nempe quòd veritatem interdum vel falſitatem prorſus admittant, nō ipſis aliunde euenire quàm ex eo quòd in affirmationes euaſerint: quādoquidem ipſa per ſe harum neutrius capacia ſunt. Nam valet Socrates, aut cæcus eſt, aut pater, aut id genus quidquam, affirmatio eſt. Quare & quòd verum aliquando vel falſum prorſus diuidant, id ſibi propter affirmationem vendicarunt. Cæterum ſciendum in his rurſus quæ per priuationem & habitum, quæque relatiuè opponuntur, medium inter contraria & affirmationem negationémque locum obtinere. Nam cum verum falſúmque affirmatio ac negatio in entibus omnibus ac non entibus perpetuo diuidat. *

* * *

68 Contrarium autem bono quidem ex neceſſitate malum eſt: hoc autem per ſingulorum inductionem palàm eſt: vt ſanitati languor: & iuſtitiæ iniuſtitia: & fortitudini timiditas: ſimiliter autem & in alijs. Malo autem aliquando quidem bonum eſt contrarium, aliquando malum: defectui enim

cum malum ſit,ſuperabundantia contraria eſt, cum ſit etiam ipſa malum. Similiter autem & mediocritas,cum vtriq; contraria ſit,bonum eſt.Sed in paucis quis tale hoc aſpiciet: in pluribus verò ſemper malo bonum contrarium eſt.

Contrarium autem bono ex neceſſitate eſt malum,id quod ex ſingularium inductione patet.

Abſoluta oppoſitorum diſputatione,quædam nunc nobis præcepta contrariorum tradit:quorum primum eſt:Bono quidem malum omninò eſſe oppoſitum: malo autem bonum non prorſus,ſed quandoque & malum : Vt iuſtitiæ, quæ eſt bonum, iniuſtitia, quæ malum eſt,aduerſatur:& modeſtiæ petulantia.πλεονεξίᾳ verò id eſt pluris vẽdicationi,quæ malum eſt,non prorſus δικαιοσύνη id eſt iuſtitia opponitur,ſed etiam μειονεξίᾳ id eſt minoris vendicatio,vt exceſſui defectus.Quid ergo?iniuſta eſt adeò natura,vt vni duo ſtatuat pugnantia?vnum enim vbique vni oppoſitum cernimus,vt aquæ ignem, graui leue, humidum ſicco. Malo igitur bonum vt immoderationi moderationem oppoſitum dicimus:malo autem malum non item vt immoderationem moderationi repugnare (ſiquidem immoderationes ambo ſunt) ſed vt exceſſui defectum. Nam cum virtus in moderatione conſideretur, vitium vtrinque vnum, alterum per exceſſum, alterum per defectum ſpectatur.Iuſtitiæ verbi gratia,quam in moderatione contemplamur, exceſſus eſt, πλεονεξίᾳ id eſt maioris vendicatio, defectus μειονεξίᾳ id eſt minoris vendicatio : quarum immoderatio eſt vtraque:opponuntur enim vt immoderationi moderatio. Rurſus modeſtiæ exceſſus procacitas,defectus ſtoliditas:fortitudinis quoq; timiditas & audacia:prudentiæ caliditas atque amentia. Vtraque igitur declinatio virtuti vt bono malum,& immoderatio moderationi obijcitur: inter ſe vero non ita, ſed vt defectus exceſſui. Quare non duo vni,ſed vnum vni oppoſitum eſt.

Amplius. Contrariorum nõ neceſſarium eſt ſi alterum ſit, & reliquum eſſe.Sanis nanq; omnibus,ſanitas quidem erit,languor verò non: ſimiliter autem albis omnibus,albedo quidem erit,nigredo vero non. 69

In contrarijs item non neceſſe eſt, ſi ſit alterum,& reliquum eſſe.

Secundum eſt hoc contrariorum præceptum. Vnum enim ſi ſit contrariorum inquit, non neceſſe eſt eſſe & alterum : quippe ſi omnes homines ſanos eſſe ſuppoſuerimus, erit ex neceſſitate ſanitas,morbus non erit.Similis ratio quoque in morbo eſt,& albedine, & nigritia,& cæteris id genus.Porrò hæc Ariſtoteles, ipſas per ſe res quæ cõtrarietatem admittunt, non etiam vt contraria ſcrutando pronunciat. Album enim vt res vel abſque nigro eſſe poteſt,vt verò huic contrarium, per ſe intelligi non etiam poteſt: quandoquidem ſunt ad aliquid contraria,ipſúmq; eſſe in alterius adnexu habent:contrarium nanq; contrario contrarium eſt.

Amplius.Si ei quod eſt Socratem ſanum eſſe, Socratem languere contrarium eſt,non contingit autem ſimul vtraq; eidem ineſſe,non vtiq; continget cum alterum contrariorum ſit, & reliquum eſſe: cum enim ſit Socratem ſanum eſſe,languere Socratem non erit. 70

Item ſi ſanum Socratem eſſe & ægrotare Socratem ſunt contraria,eidem vero ſimul ineſſe nequeunt ambo,non vtique,exiſtente contrariorum altero,eſſe & reliquum licet.

Sciendum porrò dictum hoc vel ad ſuperioris fuiſſe approbationem,vel quoniam alia eſſe in contrarijs ſimplicia dicebamus, alia per ſubiectorum complexum intelligi. Cum itaq; per ſuperiora, poſſe contrariorum exiſtente vno alterum non eſſe in ſimplicibus cõmonſtrauerit, nunc in ijs quoq; quæ per complexum conſiderantur idem fieri poſſe oſtẽdit.Nam ſi ægrotans Socrates ſano cõtrarius Socrati eſt,minimè verò poſſunt in eodem eſſe contraria,contrariorum vno exiſtente,nõ eſſe alterum omninò eſt neceſſe. Quippe ſi ſanus ſit Socrates.ægrotare eodem tempore ipſe haudquaquam poteſt.

Palàm verò eſt quòd circa idem aut ſpecie, aut genere nata ſunt fieri 71

contraria. Languor nanque & ſanitas in corpore animalis nata ſunt fieri: albedo autem & nigredo, ſimpliciter in corpore. Iuſtitia verò & iniuſtitia in anima hominis.

Conſtat quoque apta natura eſſe contraria vt circà idem vel ſpecie vel genere fiant.

Tertium hoc præceptum de contrarijs tradit, quod eſt vel circa vnum atque idem genus fieri, vel circa vnam eandémq; ſpeciem nata eſſe cõtraria: vt albedo & nigritia. Nam circa vnum & idem genere verſantur, in lapide inquam ſunt, & equo, & homine, ac denique in animato corpore, atq; inanimato, quæ ſunt eadem genere: horum nanq; genus eſt corpus ſimpliciter. Sanitas vero & morbus circa vnum idémque ſpecie habetur, vt circa hominem, & equum, atq; animal abſolute omne, quæ ſpecie ſunt eadem: quippe animalis corpus ſpecies eſt ſimpliciter corporis. Iuſtitia ſimiliter & iniuſtitia in hominis anima prouenire naturâ ſolẽt: hæc verò ipſius ſimpliciter animę ſiue incorporeę ſpecies eſt. Quamobrem verò cum idem vel ſpecie vel genere dixerit, nõ adiecit vel numero? nam idem, vt ſupra docuimus, vel genere, vel ſpecie, vel numero eſt idem, vti & diuerſum: genere, vt homo & equus: ſpecie, vt Socrates & Plato: numero, vt enſis, gladius, mucro, machæra, & ſimilia. Aut ergo vt confeſſum, id prætermiſſum ab eo dicimus, perinde quaſi ſubaudiri nobis poſſet: aut quoniam etſi circa idem numero verſentur contraria, non in parte eadem tamen. Nam albus parte alia Socrates eſt, alia niger, vt capillis: calidus item alia, & alia frigidus. Quippe fieri nequit vt in eadem ſimul parte exiſtant contraria.

72 Neceſſarium autem eſt, omnia contraria vel in eodem genere eſſe, vel in cõtrarijs generibus, vel ipſa genera eſſe. Album enim & nigrum in eodem genere ſunt (color enim eorum genus eſt) iuſtitia vero & iniuſtitia, in contrarijs generibus: illius nanq; virtus genus eſt, huius autẽ vitium: bonũ vero & malum non in genere ſunt, ſed ipſa ſunt genera aliquorum exiſtẽtia.

Omnia vero contraria aut in eodem ſint genere neceſſe eſt, aut in cõtrarijs generibus, aut ipſa ſint genera.

Quartum eſt hoc contrariorum præceptum, nempe aut ſub vno eodémq; genere eſſe contraria, vt album & nigrum, ſunt enim ſub colore: aut ſub cõtrarijs generibus, vt iuſtitia, & iniuſtitia: nam illa ſub virtute, hæc ſub vitio reponitur: cõtraria autem virtus eſt vitio: aut ipſa eſſe genera, vt bonum ac malum. Hæc enim ſub genere alio non continẽtur, ſed genera dũtaxat ſunt. Quid ergo? duo alia decem illis addenda prædicamenta boni & mali, vt nõ decem amplius prædicamenta ſed duodecim numerẽtur? Hæc igitur vocata dicimus genera nõ eadem cum alijs prædicamentis ſignificatione, q̃ per ſe hæc inquam, quo pacto & prædicamenta, ſubſiſtant: ſed quemadmodum & Plato quinque illa, genera entium dixit, ens inquam, identitatem, diuerſitatem, motum, ac ſtatum, propterea quòd in ijs quæ ſunt omnibus viſantur, non autem quòd hæc per ſe ipſa ſubſiſtant. Sic ergo & bonum malúmq; eſſe genera dixit hoc loco Ariſtoteles, non q̃ ipſa per ſe, ſed q̃ in prædicamentis omnibus ſpectentur: eſt enim in ſubſtantia bonum quodpiam ac malum, & in quanto, & in quali, prædicamentíſq; reliquis. Bonũ nanq; in ſubſtantia, eſt eius perfectio, abſolutámq; habere numeris omnibus naturæ rationem, neq; in ratione redundare, aut deficere. In quanto, cõmoda cuiq; rei quantitas. In quali color vnicuiq; cõmodus: ſimiliter & in alijs. At exactius rem æſtimantibus, ne cõtraria quidẽ bonum & malum, ſed priuationem habitúmq; oppoſita videbuntur. Contrariorum enim vtrunq; forma prædita ſit oportet, ac finitam habeat naturam, vt album & nigrũ: malum autẽ certam quæ ſubſiſtat naturam nõ habet: ſiquidem ametria, hoc eſt (vt ſic dixerim) immenſitas quædam eſt, at immenſitas quomodo formã obtinere præfinitã poteſt? Quare fit vt nec ſub definitionem cadat vitium, ſed quẽadmodum habitus abſentia venit priuatio, naturam quãpiam ipſa certam non habens, ſic vitium quoq;, vel per exceſſum, vel per defectũ eſt, virtutis abſentia. Nam illa cum in mediocritate ſpectetur, declinatio à mediocri per exceſſum vel defectum, vitiũ fecit. Neq; verò id nos prætereat, contraria quãuis ſub cõtrarijs generibus eſſe prodiderit, nõ de genere tamẽ eorũ generaliſſimo, ſed proximo dixiſſe

& ſubalterno,poni nanq; ſub eodẽ genere contraria neceſſe eſt. Quanuis enim ſub vitio ſit iniuſtitia, ſub virtute iuſtitia habeatur, tamen ea quoq; ſub cõmuni quodam vno genere,habitu inquam ac diſpoſitione comprehendũtur:id autem ad qualitatem refertur, quæ genus eſt omnium contrariorum generaliſſimum. Iuréq; ſub vno genere ponuntur cõtraria,quippe mutuum eorum bellum intelligens natura,ſupernè illa atq; infernè connectenda curauit.Supernè nimirum,cõmuni genere:infernè,ſubiecto communi.

DE PRIORE.

PRius autem alterum altero dicitur quadrupliciter. Primò quidem & maximè proprie ſecundum tempus, ſecundũ quod antiquius alterũ altero,& vetuſtius dicitur. In eo enim ꝙ tempus amplius eſt, & antiquius & vetuſtius dicitur. Secundò autem quod non conuertitur ſecundũ ſubſiſtendi conſequentiam: vt vnum duobus prius eſt. duobus enim exiſtentibus,mox vnum eſſe conſequens eſt:vno verò exiſtente,duo eſſe nõ neceſſarium eſt.Quare non conuertitur ab vno conſequentia,vt reliquũ ſit:prius autẽ illud eſſe videtur à quo non conuertitur eius quod eſt eſſe conſequẽtia. Tertiò verò ſecundum ordinem quẽdam prius dicitur:quemadmodũ & in ſcientijs, & in orationibus:nam in demonſtratiuis ſcientijs eſt prius & poſterius ordine.Elemẽta enim in geometria priora ſunt ordine ijs quæ deſcribuntur.ſed & in grãmatica,elementa ſyllabis priora ſunt: & in orationibus ſimiliter proœmium narratione prius ordine eſt. Amplius. præter ea quæ dicta ſunt,quod melius & honorabilius eſt, prius natura eſſe videtur:conſueuerunt autem & multi honorabiliores & magis dilectos à ſe, priores apud ſe dicere. Eſt quidem & penè alieniſſimus priorũ hic modus. Modi igitur qui dicti ſunt de priore,ferè tot ſunt. Videtur autem præter eos qui dicti ſunt alter eſſe prioris modus. Eorum enim quæ conuertũtur ſecundum eſſe conſequentiam, quod alteri quomodolibet cauſa eſt,cõuenienter prius natura dici poſſit. Quòd verò quædam ſunt huiuſmodi, palàm eſt:eſſe nanq; hominem,ſecundum eſſe conſequentiam ad veram de ſe conuertitur orationẽ.Nam ſi homo eſt,vera eſt oratio qua dicimus,quòd homo eſt:& conuertitur. Nam ſi vera eſt oratio qua dicimus quòd homo eſt,eſt homo.Eſt autem vera oratio nequaquam cauſa vt ſit res: veruntamen res quodammodo cauſa videtur,vt ſit vera oratio:eo enim quòd res eſt aut non eſt,vera oratio aut falſa dicitur. Quare ſecundum quinq; modos prius alterum altero dici poteſt. 73

Prius aliud alio dicitur modis quatuor.

Prioris meminit in relatiuorũ diſputatione,vbi ſcibile ſcientia,& ſenſibile ſenſu prius eſſe affirmabat,eam ob rem itaq; diuerſa hîc eius ſignificata enumerat,& quatuor numero eſſe ait. Ac primum quidem tempore prius,ſecundum naturâ,tertium ordine,quartũ dignitate. *Nam primum quidem ac maxime proprie,tempore:quatenus antiquius aliud alio ac vetuſtius dicitur. Quòd enim plus interceſſerit temporis, & antiquius & vetuſtius nominatur.* Primum quidem ac maximè propriè inquit prius dicitur, quod tempore antiquius & vetuſtius eſt. Tempore enim Socratem eſſe dicimus Ariſtotele priorem. Primum autẽ & maximè propriè hoc prioris ſignificatum dicit,quoniam quod antiquius eſt tẽpore, id conſuetudo quoq; prius maximè appellare ſolita eſt. Sciendum porrò τὸ παλαιότερον id eſt vetuſtius,tum in ani-

matis,tum in inanimatis, ὁ πρεσβύτερος verò id eſt antiquius vel ſenius, in ſolis animatis dici conſueuiſſe. *Secundum eſt quod per exiſtendi conſequentiam non reciprocat: vt vnum duobus prius.* Secundum eſt hoc ſignificatum prioris, quod per exiſtendi conſequentiam non reciprocat,hoc eſt in quo exiſtendi non reflectitur conſequẽtia:nempe quod ſimul infertur quidem,ſed ſecum non infert:vt ſi ſint duo, erit ex neceſſitate vnum, nam ſimul vnum infertur:at vnum ſi ſit, non ex neceſſitate duo erunt, non enim ſimul cum vno inferũtur: quare prius eſt vnum duobus.Rurſus exiſtẽte homine,erit animal neceſſariò,nam ſimul animal cum homine infertur:at ſi ſit animal,non prorſus erit homo:ſiquidem nõ ſimũl homo cum illo infertur:cum animalia quæ homines nõ ſunt complura exiſtant:priũs igitur quàm homo eſt animal naturâ, non tempore. *Tertio loco, ſecundum ordinem quendam prius, quemadmodum in ſcientijs atq; orationibus, dicitur.* Tertium hoc eſt ſignificatũ prioris,nẽpe prius ordine,quemadmodum habet ſe,inquit,res in ſcientijs.Nam præcedunt & in demõſtratiua ſciẽtia propoſitiones, concluſiones conſequũtur: & in Geometria priora ſunt inquit deſcriptionibus elementa.Vocant autẽm Geometræ elementa,punctum,lineam,ſuperficiem,& ſimilia,quæcunq; theorematum demonſtrationem antecedere conſueuerunt. Deſcriptiones vero,quas διαγράμματα græci nominant,ipſa theoremata.Et verò in literis priores ſunt ſyllabæ dictionibus:elemẽta ſyllabis.Idem & in orationibus dicemus. Nam præcedunt exordia,præconſtitutio ſequitur,dein conſtitutio, proximæ ſunt his narrationes:mox certamina.Hæc autem vt priora ſint omnia ſolo obtinent ordine:neq; verò natura,neq; tempore.Poteſt nanq; & artis expers orator primum vti certaminibus: deinde exordijs:& tunc narratione. Et Geometra ſpeculamen prius exponere: de hinc elemẽta. Quapropter hæc ordine duntaxat, prioris obtinent rationem. In alijs igitur prius ordine ſolo fortaſſis dici aliquis conceſſerit: verum in literis non ordine etiam ſolo eſſe videtur ſyllabis elementa,vel nominibus, vel orationibus priora. Neq; enim licet ordine obuerſo primum nomina diſcere,deinde ſyllabas, poſtremò elementa: ſiquidem nota reliqua eſſe non cognitis elementis nullo modo poſſunt: pereúntq; ſimul reliqua ſublatis elemẽtis: at manere poſſunt elementa vel ſi reliqua illa tollantur. Quò fit vt ſint elementa ijs priora quæ ex ipſis conſtant elemẽtis non ſolum ordine,ſed etiam naturâ. Non rectè igitur in grammatica ſolo ordine elementa prima eſſe dicit,niſi forte ad illud reſpexit,ꝙ & orationes nectere,& proferre nomina,elemẽtorum autẽ vim ignorare queant literarum rudes:Sed quanquam ex vſu loquantur,ac ſignificata vocũ teneant,ipſam tamen quę eſt in voce vim neſciant orationis:cum ex quibus cõſtet nequaquam intelligant. *Item præter ea quæ diximus, quod melius honorabiliuſq; eſt, id natura eſſe prius videtur.* Quartus eſt hic prioris modus,honorabilius inquam:quod cõſuetudo prius nominat.Eſt autẽ hoc inter prioris ſignificata prorſus alienũ:quamobrem & id ipſe reprobat,quintum autem quendam modum huius loco deinceps affert,vt quatuor prioris ſignificata expleat.Idcirco cũ diuerſa quoq; ſimul aduerbij ſignificata enumerando,vnũ huius modũ prioris ſingulis opponat,huic ſoli nullum obiecit,à prioris ipſum ſignificatis prorſus exterminãs. *Videri autem quis poſſit præter enumeratos alius eſſe prioris modus.* Quintum hunc addit:nam quartus,vt diximus, à prioris ſignificatis erat alienus:quoniam à noſtra electione,non à rerum natura proficiſcebatur.Quintum autem eſt ſecũdo contrarium,nam cũ illud ſecũdum ipſius eſſe cõſequentiam nõ reciprocet,neq; ſit alterum alteri cauſa,hoc & reflectitur,& alterum alteri cauſa eſt,vt pater & filius.Quippe hæc inter ſe cõmeant in exiſtendi conſequẽtia,ſiquidẽ vtrouis poſito, omninò alterũ ſequitur:eſt tamẽ reliquo alterũ cauſa,filio inquã pater. Ratio in re quoq; ſimilis eſt & vera de re ipſa oratione,nam & horũ in exiſtẽdi conſequẽtia reciprocantiũ alterum alteri cauſa eſt:vt Philoſophus eſt Socrates: & oratio de eo quædã eſt quæ ipſum eſſe philoſophũ dicit:quodcũq; ergo ex his fuerit poſitũ,alterum quoq; ex neceſſitate cõſequitur.Si enim vera eſt oratio quæ philoſophũ eſſe pronunciat,Socratẽ neceſſe eſt eſſe philoſophũ:& ſi ſit Socrates philoſophus,vera ex neceſſitate oratio erit,quæ illũ eſſe philoſophum perhibet.Verũ hæc tametſi mutuò cõuertuntur, res tamẽ orationi quo vera ſit cauſam pręſtat:nam niſi res ſit,vera eſſe de re ipſa nõ poteſt oratio.Poteſt igitur modis quinq; aliud alio prius dici.Cæterum de eo quod prius eſt ſermone habito,non

de posteriore etiam meminit, siquidem cum de priore ageretur, præceptio quoq; posterioris enituit. Hæc enim simul habentur, súntq; ad aliquid, proinde & vno cognito, alterum quoq; est notũ. nam prius posteriore prius dicitur, & posterius priore posterius. Quare quot modis vocatur prius, totidem & posterius nuncupabitur: siquidem quocunq; alterum modo sese habeat relatiuorum, eodem habet & reliquum.

DE SIMVL ADVERBIO.

SImul autem dicuntur simpliciter quidem & proprijssimè quorũ ge- 74
neratio in eodẽ est tẽpore: neutrũ enim eorum neq; prius neq; posterius est: simul autem secundum tempus hæc dicuntur. Natura verò simul sunt, quæcunq; cõuertuntur quidem secundũ eius quod est esse consequẽtiam, sed nequaquã alterum alteri causa est vt sit, vt in duplo & dimidio: conuertuntur etenim hæc: nam cum duplum sit, dimidiũ est: & cum dimidium sit, duplum est: sed neutrum alteri causa est vt sit. Dicũtur autem simul natura & quæ ex eodẽ genere è diuerso abinuicem diuiduntur: è diuerso autem diuidi abinuicem dicũtur, quæ secũdum eandem sunt diuisionẽ: vt volatile gressibili & aquatili: hæc enim abinuicem è diuerso diuidũtur: cum sint ex eodẽ genere. Animal nanq; diuiditur in hæc, in volatile, gressibile, & aquatile: & nihil horum prius vel posterius est, sed simul hæc natura esse vidẽtur. Diuiditur autem & vnumquodq; horum in species rursus: vt volatile, gressibile, & aquatile. Erunt ergo & illa simul natura, quæcũq; ex eodem genere secundum eandem sunt diuisionem. Genera verò speciebus semper priora sunt: neq; enim conuertuntur secundum eius quod est esse consequentiam: vt cum quidem aquatile sit, animal est: cum vero sit animal, non necesse est, vt aquatile sit. Simul ergo natura dicũtur quæcũq; quidem conuertuntur secundum eius quod est esse consequẽtiam, sed nequaquam alterum alteri vt sit causa est: & ea quæ ex eodem genere è diuerso diuiduntur abinuicem. Simpliciter autem simul sunt, quorum generatio in eodem est tempore.

Simul simpliciter quidem & maxime proprie dicuntur ea, quorum generatio in eodem est tempore.

Meminit & verbi simul in relatiuorũ disputatione, vbi dicebat: Videntur autẽ quę sunt ad aliquid simul esse natura: quapropter meritò de eo nũc sermonẽ instituit. Quoniã verò simul aduerbiũ est priori oppositũ, triplicẽ eius aduerbij differẽtiã tradit: ac primũ quidem modũ primo prioris modo opponit: secundũ secũdo, & quinto: tertiũ tertio: quarto autẽ nullũ aduersum statuit modũ: etenim hunc etiã antè iã diximus ex prioris significatis alienissimũ. Primũ igitur simul aduerbij modũ, quẽ maximè quoq; ꝓpriũ dicit, eũ esse pronũciat, qui ad tẽpus ptinet: verbi causa si duo quidã aut plures eodẽ in tẽpore generationem obtinerent. Hunc autẽ iure maximè propriũ affirmat: siquidẽ hoim multitudo verbo simul vti cõsueuit in his maximè, nẽpe ijs quæ eodẽ tẽpore existũt. Cæterũ primo prioris, vti docuim⁹, significato est aduersus hic modus: qꝫ ipsum quoq; pri⁹ esse maximè ac ꝑcipuè dicebaẽ, id inquã quod penes tẽpus intelligitur: vt Socrates & Alcibiades: est enim Socrates prior tẽpore Ergo si quod tẽpore ipso prius est, id prius dici magis ac potissimũ valet, opponitur autẽ verbũ simul priori, poterit & quod simul est tẽpore peculiarius nuncupari. Sunt autẽ simul ea quæ neq; priora, neq; posteriora habentur. *Simul autẽ natura sunt ea quæ secundũ ipsius quidẽ esse reciprocãt consequentiã.* Secũdus est hic simul aduerbij modus, qui secũdo & quito prioris significato repugnat. Secũdo quidẽ, quoniã pri⁹ id esse illic dicebamus quod in existendi cõsequentia non reflectitur, vt vnũ & duo: neq; enim vt vnũ

duob⁹,ſic & duo vni ſunt cõſequẽtia:hic verò ſimul id eſſe ꝓnunciat quod cõuertitur in eſſentiæ ipſius ſequela, vt duplum & dimidiũ. Vt enim duplo exiſtẽte cõſequens eſt eſſe dimidium,ita ſi dimidiũ ſit,duplum eſſe ex neceſſitate cõſequit̃.Quinto autẽ eſt oppoſitum,quoniã prius quidẽ illud eſſe ꝓdebat̃, quod in ipſius quidẽ eſſe obãbulabat cõſequẽtia,cauſa tamẽ alteri vt eſſet reliquũ erat:velut in patre ac filio dicebat̃. Hæc enim q̃q̃ in exiſtendi reciprocãtur ſequela(nã vtrouis poſito alterũ quoq; ſubſequit̃)cauſa tamen vt ſit,eſt filio pater: idcirco & prior eſſe ferebat̃. Hîc vero ſimul dicunt̃ quæ in exiſtendi cõmeant cõſequentia,nullo autẽ pacto alterũ alteri eſt cauſa, duplum inquã ac dimidium. Hæc enim tũ reflectunt̃,nãq; vno poſito infertur & alterũ neceſſario,tũ neutrum,vt ſit, cauſa eſt alteri.Porrò verbis illis, Nullo autẽ pacto alterũ alteri eſt cauſa,aduerbiũ ſolum addẽdũ eſt,quoniã pater ac filius,& duplũ ac dimidiũ difficultatẽ in re pariunt. Eſt enim cauſa duplum dimidio,q̃q̃ nõ ita ſolũ:etenim cauſatũ quoq; eſt, à dimidio cauſam obtinens. Similiter filio quoq; cũ cauſa ſecũdũ reſpectũ ſit pater,cauſam obtinet filiũ. Adiectum itaq; ſit aduerbiũ ſolũ, cõuenit: quippe & cauſa propriè eſt ea quę cauſa eſt ſolũ,ſed nõ eius quoq; cauſatũ cuius eſt cauſa. *Et quæ ex eodẽ genere à ſe mutuò diſiuncta in aduerſum ſunt, ſimul dicũtur natura.* Hic tertius ſimul exiſtẽdi modus eſt, qui tertio ſignificato prioris repugnat,ordine inquã priori: qualia ſunt in ſyllabis elemẽta,ſyllabæ in dictionib⁹,in orationibus proœmia.Hîc verò ſimul ea ſunt,quę eundẽ ex priore ordinẽ poſſident, qualia genera ſunt ex diuiſione eadẽ ſumpta:vt corpus & incorporeũ, diſtant enim æqualiter hæc & à ſubſtantia,& ſpeciebus ſpecialiſſimis,hoíe inq̃ & equo,angelo & anima. Simul quoq; animatũ & inanime ratione eadẽ dicunt̃:ſiquidẽ hęc pari,tũ à corpore ſimpliciter dicto, tũ ab animali,interuallo recedũt. Terreſtre quoq; & volucre & aquatile atq; id gen⁹ oía, ſimul dicũtur:eorũ enim nullũ alterũ altero eſt prius.Nã & à ſupremo genere parẽ diſtãtiam eãdémq; obtinent:ſimiliter & à ſpecie ſpecialiſſima.Quòd ſiquis forſitã volucre in aues & locuſtas diuiſerit,nõ amplius auis & volucre ſimul dicunt̃:ſed prius volucre,quoniã ex aíalis diuiſione acceptũ eſt: auis autẽ ex volucris ſectione ꝓdijt. Sunt verò priora ſemp ſpecieb⁹ genera: quoniã in nulla exiſtẽdi reciprocant cõſecutione:nã ſpecie poſita ſequitur genus neceſſariò:at poſitis generibus ſpecies non neceſſe eſt,conſequantur.

DE MOTV.

75 MOtus autem ſpecies ſunt ſex: generatio, corruptio,augmẽtum,diminutio,alteratio,& ſecundum locum mutatio.

Sex motus ſunt ſpecies:generatio,corruptio,auctio,diminutio,alteratio,ac loci mutatio.

Non eſt ſub prædicamentis motus, q̃ in ipſis viſatur. In ſubſtãtia enim generatio corruptióq; ſpectatur:ſed nec ſubſtãtia generatio & corruptio,neq; auctio & diminutio q̃tũ, nec alteratio qualitas,nec localis motus vbi dicit̃. Sed neq; ad aliquid:quoniã nec ipſum eſſe obtinet in eo motus,q̃ ſeſe quodã pacto ad aliquid habeat.Ne verò illud nos prætereat,diſputationẽ de motu viro eſſe naturæ rationes perſcrutãti cõſentaneã,ſiquidẽ habẽt ipſum eſſe res naturales oẽs in motu:eſt enim & natura,vt finiuit ipſe,motus principium & quietis: quapropter & in naturali auſcultatione ſermonẽ de eo ꝓducit lõgius, atq; exactius diſſerit.Cæterũ quærendũ eſt cuius rei gratia hoc loco motus meminerit.Quidã ergo q̃ prædicamẽta facere & pati motiones eſſent, de quib⁹ eſt nihil locut⁹, eapropter hîc ab eo ſermonẽ de motu inſtitutũ affirmarũt:quodã modo enim mot⁹ inquit gen⁹eſt,ſpecies eius,tũ alia plura,tũ facere & pati.Sic igit̃ de his nõnulli definiuere.Sed nõ admittenda id genus ratio eſt,nõ enim ꝓpoſitũ Philoſopho eſt plus de prędicamẽtis facere & pati, q̃ à principio dixerit,ꝓfari. Præterea,vt inter initia quoq; dicebamus, mouere ad facere prædicamẽtũ refertur:moueri ad pati,ipſe vero motus nõ itẽ, nõ eſt enim motus facere. Motus quoq; nõ prędicamẽta,ſed vias in prędicamẽta eſſe docebam⁹.Quã ergo nos ſententiã ferimus? Nẽpe q̃ quẽadmodũ de prius aſſumptis vocib⁹ præceptionẽ fecit,quoniã earũ cũ de prædicamẽtis p̃ciperet meminiſſet,ita ſanè & de motu dicem⁹.Fecit enim in ſermone de ſubſtãtia mẽtionẽ de motu,cũ ꝓpriũ aſſignauiſſet ſubſtãtiæ,vnũ idémq; numero capax viciſſim cõtrariorũ eſſe,dubitationémq;ad hoc ꝓtuliſſet, nõ eſſe hoc ꝓpriũ

forſan ſubſtãtię,quãdoquidẽ nõ ſoli ipſi,ſed orationi quoq; & opinioni cõpetat:nã & hęc vnũ idémq; numero manentia,cõtrariorũ ſunt viciſſim capacia,veritatis inq̃ ac falſitatis,dubitationẽ ſoluens intulit, nõ eodẽ hæc modo capacia eſſe cõtrariorũ quo ſubſtãtia eſt.Fit enim capax cõtrariorũ ſubſtãtia, motũ patiẽs ipſa:illa verò,nõ ipſa motu agitata, ſed alijs motũ ſuſtinẽtib⁹, veritatẽ falſitatémq; accipiunt. Proinde igiturquoniã meminit motionis,neceſſe eſſe eã nos docere arbitratus eſt.Decet itaq; phyſicũ virũ,vt iã ante dixi,ſermo de motu: quãobrẽ quatuor & ipſe poſteriores ex octo phyſicæ auſcultationis libris in diſputationẽ de motu cõſumpſit.Hîc verò tantũ de eo diſputat q̃tũ logico viro ſcrutari cõuenit,in quot ſpecies diuidať motus:& quę ſint:& quę quas cõſequãtur,vel nõ cõſequãtur. *Sex motus ſunt ſpecies:generatio,corruptio,auctio, diminutio,alteratio,ac loci mutatio.* Cur in ſex partes mot⁹ diſcerpitur?quoniã motus alienatio quædã ac demutatio eſt. Deturbatur autẽ vel à ſua ipſius qdq̃ ſubſtãtia,& generationẽ ac corruptionẽ facit:vel ab ijs quę in ipſa ſunt ſubſtãtia penes q̃titatẽ,facítq; augmentũ ac decremẽtũ: vel penes qualitatem, & fit alteratio:aut ab ijs q̃ circa ſeipſum ſunt,& mutatio loci cõficiť.Quæri autẽ hæc tria in diſputatione de motu ſciendũ eſt,quot ſpecies ſint mot⁹,& quib⁹ mutuò diſcernanť, & ad hæc tertiũ, quali ſpeciei motus qualis ſit oppoſita. Quot igiť ſpecies ſint motus iam ipſe enumerauit,ſex eſſe ꝓnuncians. Verũ quò nos ſciẽtiaria quoq; ratione intelligam⁹, cur ſpecies motus ſex,nec plures ſint,nec pauciores,rationẽ in mediũ ex diuiſione affera mus.Tria igitur eſſe dicimus,quæ circa naturã noſtram ſpectantur:ipſa ſubſtãtia,quæ in ſubſtãtia habẽtur,quæ ſunt circa ſubſtãtiã. Sũt ergo in ipſa,ſi magnas partes diuidas,q̃tũ & quale:magnas ꝓpterea diximus,quoniã etſi prædicamẽta alia ſint in ſubſtãtia,habent tamẽ ex his generationẽ,vt antè ꝓdidimus:circa ſubſtãtiã vero ſunt locus & tẽpus.Hæc tria cũ ſint,generatio & corruptio eſt ſubſtantiæ mot⁹:qualitatis alteratio: incremẽtum ac decrementũ quãtitatis:vbi vero prędicamẽti,localis mutatio,quæ latio noíatur. Porrò latio quædã recta appellať,quæ ſurſum videlicet ac deorſum tẽdit: nõnulla circularis, quæ in orbẽ circũagitur:vt cæli latio,recta,& in orbẽ . Sex itaq; ſpecies hîc tradit motus, lationẽ,in rectam & circularẽ nequaq̃ diuidens. At in naturali auſcultatione,genus eſſe vult mutationẽ,eiúſq; tres eſſe ſpecies,motũ, generationẽ,corruptionẽ:motũ nãq; à generatione & corruptione illic in aduerſum diſtinguit.Nõ enim vult illic generationẽ aliquorũ manentiũ,formámq; obtinentiũ motũ eſſe,verũ ſecundũ illorũ aliquod quę circa eã accidunt.Idcirco quę mouẽtur,ea ſecundũ q̃tũ,vel quale,vel locũ inquit moueri,ſubſtantialẽ formã quæ ab initio fuerat ſeruantia. In generatione verò ac corruptione vetus forma í eo quod mutať nõ manet: quoniã generatio via eſt à quodãmodo nõ ente in ens quodãmodo,hoc eſt,ab eo quod poteſtate eſt in ens actu.Corruptio cõtrà via eſt ab ente in nõ ens.Verũ hîc quoniã introductorius liber eſt,& logicus potius,nõ phyſicus,exacta de his ratione non diſſerit : ſed generationem quoque & corruptionem motus eſſe pronunciat : quandoquidem non vt phyſicus hoc loco , ſed vt logicus diſputat, quærens in his quæ quibus ſint,vel non ſint conſequentia.

Alij itaq; motus palã eſt,ꝙ abinuicẽ diuerſi ſunt,nõ enim eſt generatio 76
corruptio: neq; augmẽtũ diminutio,neque ſecũdũ locũ mutatio:ſimiliter autẽ & alij. In alteratione verò habet quandã dubitationẽ,ne ſit fortè neceſſarium,id quod alterať per aliquã reliquarũ motionũ alterari.Hoc autẽ nõ verũ eſt:nã ſecundũ oẽs penè paſſiones aut cõplures,accidit nos alterari,nulla aliarũ cõmunicãte motionũ. Nã neq; augeri neceſſariũ eſt,quod ꝑ paſſionẽ moueť,neque diminui:ſimiliter autẽ & in alijs.Quare alia præter alios motus erit alteratio : nã ſi eſſet eadẽ,oporteret,id quod alterať,mox & augeri,vel minui,vel quãdã aliarũ motionũ ſequi:ſed nõ neceſſe eſt. Similiter autẽ & quod augeť,aut alia aliqua mutatione moueť,alterari oporteret:ſed ſũt quædã q̃ augmentãtur,q̃ nõ alterãtur:vt quadratũ gnomone

circũpoſito creuit quidẽ, alteratũ verò nihil factũ eſt:ſic & in alijs huiuſmodi. Quare alij motus ſunt abinuicẽ. Eſt autẽ ſimpliciter motui quidem quies cõtrariũ:ijs vero q̃ p ſingula ſunt & ſingula:generationi quidẽ corruptio cõtrariũ:augmẽtationi verò diminutio:ſecũdũ locũ mutationi, ſecũdũ locũ quies. Maximè autẽ videt oppoſita eſſe ad cõtrariũ locũ mutatio: vt ei q̃ inferius eſt,ea q̃ ſuperius eſt:& ei q̃ ſupius eſt,ea q̃ inferius eſt. Reliquo verò aſſignatorũ motuũ nõ facile eſt aſſignare quid fortè eſt cõtrariũ. Videt autẽ nihil eſſe ei cõtrariũ: niſi quis & in hoc ſecũdũ qualitatẽ quietẽ opponat:aut in cõtrariũ qualitatis mutationẽ:ſicut & in mutatione ſecũdũ locũ, quietẽ ſecũdũ locũ:aut in cõtrariũ locũ mutationẽ:eſt em̃ & alteratio mutatio ſecũdũ qualitatẽ. Quapropter opponit motui ſecũdũ q̃litatẽ, quies ſecũdũ qualitatẽ:aut ĩ cõtrariũ qualitatis mutatio:vt albũ fieri ad id quod nigrũ eſt fieri: alterat em̃, in contraria qualitatis mutatione facta.

Motus itaque alios inter ſe diuerſos eſſe conſtat.

Poſtq̃ ſpecies enumerauit motus, hîc eas deinceps à ſe mutuò diſtinguit, oſtẽditq; quónam pacto nõ ſint eædẽ. Neq; enim generatio, inquit, corruptio eſt, neq; augmẽtũ diminutio: quo modo enim, quãdoquidẽ ſunt cõtraria? ſed nec auctio eſt generatio: ens enim augeť: nõ ens generať. Nec decrementũ corruptio, nã & in his eadẽ ratio cõgruit: ſignificat enim decrementũ remiſſionẽ entis ſecundũ quãtitatẽ: corruptio abſolutã entis abolitionẽ. Neq; verò rurſus localis mutatio cũ aliquo ſupradictorũ coincidit. Nã quod à loco in locũ demigrat, id neq; gignitur, neq; corrũpitur, neq; augeť, neq; minuitur. Neq; enim ſi Athenis verbi gratia proficiſcať Corinthum Socrates, aliquid ex dictis patietur: ſed idẽ prorſus manens loco ſolo dimouetur. *Verùm in alteratione dubitatio habetur nonnulla, ſit ne id quod alteratur neceſſe cuiuſquam reliquorum motuum modo alterari.* Quòd alij quidẽ inquit motus omnes nõ ijdem inter ſe ſint, nemini dubium fuit: at in alteratione quærendũ eſt, an quod alteraſcit, id ſecundũ generationem, vel corruptionẽ, vel incremẽtũ, vel decremẽtum, vel aliquẽ motũ reliquorũ altereť. Sed nõ eſt verum hoc inquit: nãq; in plurimis affectibus, calefactione inq̃ & refrigeratione, ac ſimilib⁹, alteramur quidẽ prorſus, nõ tamen quenq̃ ex reliquis motũ pferimus. Neq; enim augeatur oío quod caleſcit aut refrigeratur, vel decreſcat, vel generetur, vel corrũpať, aut reliquorũ quodpiã oportet ſuſtineat: quare ſeiuncta ab alijs motib⁹ eſt alteratio. *Idẽ enim ſi eſſet, protinus quod alteratur vel augeri vel minui oporteret.* Si idẽ cum vno eſſet inquit aliorũ motuũ alteratio, opus eſſet oío quod alteratur, reliquorũ etiã motuũ quẽpiã ſuſtineret, minimè verò id nunc accidit: nã corpora q̃dẽ in ſole verſãtia caleſcẽdo, nigreſcẽdóq; alteranť: nõ tamẽ huiuſce rei gratia augẽtur, minuuntúrve, aut cęterorũ aliqđ ppetiuntur. Eadẽ potes & de ijs dicere quę à frigore, aut quouis aliter modo alterãtur. *Similiter & quod augetur, aut alijs quibuſdã cietur motibus, alterari.* Sermonem vice inuerſa probat: nõ enim inquit ſolum ſi idẽ alijs motibus eſſet alteratio, id protinus quod alteratur vnoquoq; aliorũ motuum cieri oporteret, ſed contrà etiã ſiquid ſecũdum augmentum, vel decrementum, vel cæterorũ aliquid motum eſſet, id ſtatim quoque alterari: q̃q̃ maximè cæteris motibus alteratio prior exiſtat, ſiue ipſos conſequatur. Nam alteratius quoq; omnino fiat oportet quod augetur: ſiquidẽ cibum alterari primum in ſanguinẽ opus eſt augeſcentibus, atq; illum in carnẽ: nec fieri aliter nõ præcedẽte alteratione incrementũ poſſet. Sed antecedit quoq; alteratio quæ generãtur: nã ſemẽ alterari in ſanguinẽ poteſt: ſanguis in carnem: ac quouis aliter modo leges poſtulent naturæ. Et verò in motib⁹ alijs oíbus eſt alterationẽ vel cõſequentẽ vel antecedentem cõtemplari. Nã quæ locali cientur motu, præſertim ſi plus ſint contentiúſq; agitata, alteratio ſequitur: nimirum ijs quæ mouentur caleſcentibus. Tametſi ergo alios vt dixi motus ſequitur alteratio, nõ idem tamen ob id cũ alijs motibus alterationem eſſe affirmamus.

Quandoquidẽ & localis motus alios omnes comitatur:nã & quod gignitur, & quod corrumpitur,locali quoq; agitatu prorſus mouetur:ſimiliter augeſcens quoq; ac decreſcens. Nã ſingula hæc localis motus neceſſe eſt antecedat:qui niſi ſit,aliorũ quiſquã fieri haudquaq; poteſt. Nam ſiue in cõmuni rem æſtimes, appropinquãte ſole & recedente vniuerſalis generatio corruptióq; fit:ſiue priuatim ppendas, ſemen videlicet in terrã,vel etiam in vterum cadat oportet : aut mas quoq; fœminam adeat : hoc autem localis eſt motus. Et in corruptione videlicet congreſſa elementa, à ſe inuicẽ opus eſt diſcernantur. Porrõ in augmento & decremento perſpicua eſt loci mutatio : ſiquidem maiorem ex minore locum obtineat oportet quod augetur: & minorem ex maiore,quod diminuitur. Sed id etiã quod alteraſcit:tum ꝙ à profundo ad ſuperficiem qualitas, vt in erubeſcentibus,vel palleſcentibus permeet:tum ꝙ alterans appropinquare alteraſcenti ſit neceſſe. Verũ etſi motum omnẽ localis conſequitur motus, ꝙ tamen ſit ab ijs alius planè dilucet:quandoquidem etſi luci expoſitum corpus omnino comitatur vmbra, nõ ob id tamẽ & vmbra iam cũ corpore in luce poſito eſt idem,ſic ergo & in alteratione dicẽdum, quãuis motus hic alios omnes ſequatur, nõ ideo tamen idem quoq; eſt cum illis: quãdo ne motus quidem omnis comes eſt alteratio. Nã quæ ꝑ additionem augentur,creſcunt quidem(euadunt enim ex minorib⁹ maiora)vt ſi aqua ciſternæ addatur,ſed nõ fiunt alteratiora,quippe aqua in ea contenta, infuſa alia creuit nõ alterata. Et quæ extrahitur recta linea,nõ alteraſcens augetur. Verum nec quidquid alteratur augeſcit:ſiquidem qui diſcit,qui iraſcitur,qui metuit,nõ augeſcẽdo alteratur:id quod vel ipſe declarans ſubiungit,atq; inquit: *Quadrangulus circumpoſito ipſi gnomone augeſcit quidem,at non alteratior euadit.* Nam & auctus,manet etiã quadrangulus:quare ne decrementum quidem eſt alteratio. Siquidem detracto à quadrato gnomone,quadratum quod reliquum eſt manſit. Verum quoniam alterationis à cæteris motibus diuerſitatẽ oſtendere volens Ariſtoteles quadranguli gnomóniſq; meminit,age verba illa exponamus. Gnomonem igitur Geometrę vnum quempiam ex ambientibus diametrum quadrangulis nominant, vbi cũ duobus ſimul cõplementis fuerit:quò autẽ plana ea quæ dicimus fiant, ſermonem in hac figura meditemur. Spacium eſſe dicitur quadrangulus, quod à lateribus quatuor inuicem æqualibus,& rectis angulis continetur. Sit ergo quadrãgulum ſpatium,a b c d, quod æquales quatuor angulos,& æqualia totidẽ habeat latera,ducatúrq; per ipſum diameter,b c, in latere autem,a b,ſumatur punctum e,verbi cauſa,atq; ab ipſo e,puncto,ab vtrauis a c,b d,coſtarum æque diſtãs ducatur linea:ſítq; hæc e f,ab a c,vero latere abſtrahatur,a g,linea æqualis lineæ, e b,perducatúrq; à, g, puncto linea quæ ab vtrolibet a b, c d, laterum pariter diſtet, ſítq; hæc, g h:quæ e f,lineam in k,puncto interſecet. Fiunt quatuor itaq; intra a b,c d,quadrangulũ ſpacia, quorum duo diametrum ambientia, nempe e b,h k,& k g,c f,ſunt quadranguli: reliqua duo,cõplementa nuncupantur. Vnum ergo vtrumuis quadrangulorum,g c,f k, verbi gratia cum ambobus complementis, quæ ſunt, a e,k g,& k h, d f, gnomon vocatur. Quo autẽ modo ſimilis e b k h,quadrãgulus a b c d,quadrangulo ſit,haud obſcura eſt probatio. Gnomonem igitur contemplare. Nam e b h k, quadrangulus per, a b c d,quadrangulum auctior euaſit, alteratúſq; minime eſt: ſiquidem paruus auctus quadrangulus, ſimiliter exiſtens quadrangulus manſit. At verò tametſi à toto quadrangulo,qui eſt,a b c d,gnomonem,a e g h c d,detraxeris,quadrangulus tamen,e b k h,relinquitur: atque id totum quidem quod ab initio fuerat, decreuit ac minus euaſit: nequaquã verò eſt alteratum, ſed ſpecies ipſa manſit quadranguli.



Quòd ſi neque decretio,neq; augmentum,qui motus eſt in quantitate,ſpeciei quadranguli proprietatem dimouit, patet motum alium ſecundum qualitatem,aliud augmentũ decrementúmq; eſſe. At ſi ſint hæ mutationes diuerſæ,multò magis quæ per generationem atq; interitum fiunt. *Eſt porrò ſimpliciter motui quies contrarium.* Nunc tertium deinceps

eorum quæ diximus quęrit in diſputatione de motu, qualiná motus inquam ſpeciei qualis repugnet:atq; omni quidem inquit communiter motui oppoſitá eſt quies.Nam ſi motus tranſgreſſio quædã ac via eſt vel ex entibus in nõ eſſe,vel contrà ex poteſtate in actũ, vel à loco in locum,vel à minore in maius,& econtrario, vel ab eſſe tali in tale eſſe,vt ab albo in nigrum,quies autem ſtatus eſt quidã,iure omni motui contrarium eſt quies.Specialius verò motus obiacent inquit ex oppoſito inter ſeſe diſtincti:generationi quidẽ corruptio:diminutioni augmentum,locali vero motui opponitur quies præcipue, neque iniuria:quãdoquidem notior alijs eſt potiſſimum hic motus : atq; huic maximè motus nomen tribuit multitudo.Cæterum ſpecialius quoq; ipſe ſibiipſi poteſt hic motus opponi ſecũdum diuerſas loci dimenſiones partitus:vt latio ſurſum, ſit lationi deorſum oppoſita, & latio quæ fit in anteriorem partem,lationi quæ fit in poſteriorem : & dextrorſum tendens in læuam deflectenti. *Reliquo autem proditorum motuum non facile eſt quódnam ſit contrarium aſſignare.*In motuum quoq; diſcretione is fuit rurſus de quo quęrebamus,alteratio inquã. Et huic igitur inquit opponenda eſt qualitatis quies,perinde ac locali,& mutatio qualium in contrarium,vt ab albedine in nigritiem.

DE VERBO HABERE.

77 HAbere ſecundum plures modos dicitur. Aut enim vt habitum & diſpoſitionẽ,aut aliam aliquã qualitatem:dicimur enim diſciplinã aliquã atq; virtutẽ habere. Aut vt quantum, vt quã contingit aliquis habens magnitudinem : dicitur enim tricubitã habere magnitudinẽ, vel quadricubitã. Aut vt ea quæ circa corpus ſunt,vt veſtimentũ vel tunicam.Aut vt in pte,vt in manu annulũ. Aut vt partẽ,vt manum vel pedẽ. Aut vt in vaſe,vt modius grana tritici,aut amphora vinum: vinum enim habere amphora dicitur,& modius grana tritici:hæc enim omnia habere dicuntur,vt in vaſe.Aut vt poſſeſſionẽ: habere enim domũ & agrum dicimur.Dicitur autem & vir vxorẽ habere:& vxor virũ. Sed qui nunc dictus eſt modus,alieniſſimus eſt eius quod eſt habere : nihil enim aliud vxorem habere ſignificamus, q̃ quòd cohabitant. Forte tamen & alij quidam eius quod eſt habere apparebunt modi:ſed qui dici conſueuerunt, penè omnes enumerati ſunt.

Habere autem pluribus dicitur modis. Nam aut perinde atque habitum & diſpoſitionem, vel qualitatem quamlibet aliam.

Æquiuoca vox eſt habere: nõ enim decem prædicamentorum vnum tantum ſignificat, ſed alia quoque complura. Nam & habere ſcientiam dicimur, & virtutem, ac quotquot enumerantur alia. Propriè verò habendi prædicamentum,ſubſtantiæ circa ſubſtantiam amictum declarat : vt cum circumpoſitum pallium,vel annulum,vel calceos dicimus.Habere autem vxorem,vel agrum,vel id genus aliquid,aliud quiddam eſt. Ergo ne ex æquiuocatione fallamur, diſtinctè nobis hoc loco quot nã modis habere dicatur,expoſuit. An verò quoniam de ſubſtantia,& quanto,& quali,& relatione, & faciendo,& patiendo ſuperius locutus,ſermonem de cæteris prædicamentis vt minime obſcurum prætermiſit,finiuit autem & habendi prædicamentum, ſubſtantiæ circa ſubſtantiam eſſe poſitionem,inquiens,dicitúrq; alijs etiam modis habere,idcirco nunc de eo ſermonem repetit. Atque habere, ait, pluribus modis dicere conſueuimus. Nam dicitur inquit habere vel penes qualitatem: quippe habitum, aut diſpoſitionem habere, aut ſcientiam dicimur. Vel ſecundum quantitatem, vt ſiquis lignum habere tres verbi gratia cubitos dicat. Hæc quidem in corpore habentur. Circa verò corpus dicimur habere, vt veſtẽ, vel locum, vel tantum temporis. Dicimur verò & partem habere, vt manum, aut pedem.

Et vt poſſeſſionem, vt domum, aut fundum. Et vt in vaſe, vt cum ſeria habere vinum fertur: ac quotquot alijs modis dici poteſt habere. Dicere autem inquit habere vxorem, inter habendi ſignificata videtur eſſe alieniſſimum: ſiquidem vxorem habere nihil eſt aliud quàm vxoris eſſe contubernalem: alieniſſimum autem vocat, quoniam nihilò magis habere vxorem vir dicitur, quàm vxor virum. Sed reſpondere ad hoc licet, quòd & in poſſeſſionibus, non ſolum habere nos agrum dicamur, aut ſeruum, ſed ager etiam, & ſeruus, & veſtis dominum habet. In partibus quoque & toto, non ſolum habet partes totum, ſed etiam partes integritatem habent. *Fortaſſis verò & alij quidam videri poſſunt habendi modi, cæterum enumerati ferme ſunt omnes qui dici cõſueuerũt.*

Rurſus verò ſi acquieſcere eius verbis nolimus, modeſtè nobiſcum agens inquit, ſunt quidem & alij forſitan habendi modi, verum nos qui dici conſueuere omnes recenſuimus.

FINIS.

Pariſijs Simon Colinæus imprimebat pro ſe & Ioanne Roygni, Idibus Septemb.

1542.